




1
6
165










BALDVINI DE MONTE SIMONCELLI.

E VICENI DOMINIS,

COSMO II. MAGNO HETRVRIÆ DVCI IIII. A CVBICVLIS.

MERCVRIVS SATYRA, SIVE Somnium prolusio Vigiliarum.



Florentiæ, Apud Zenobium Pignonium:

Superiorum permissu. 1618.

nitate, in mè singulari indulgentia, ne graueris; dum vigiliç illç Solem suum expectant, ad hoc somnium mentem parumper adijcere; etenim, siue somnium explicaueris, siue somnianti adfueris, ERIS MIHI MAGNVS APOLLO. Florentiæ Kal. Nouembris 1618.

BALDVINI DE MONTE SIMONCELLI.

MERCVRIVS SATYRA, Siue Somnium prolusio vigiliarum.





VPER in Musæo eram lucubrationibus meis intentus,
Iamque ferè mediam Cęli nox humida metam Virgil. 5. æn.
Contigerat, &
—— Placidum carpebant fessa soporem Idem 4.
Corpora per terras, syluæque, & sæua quierant,
Æquora.
Omnia noctis erant placida composta quiete.
Cum leuis ętthereijs delapsus somnus ab astris, Idem. 5.
me (cui Principibus meis placēdi cupiditas,
———— quemuis perferre laborem Lucretius lib. 1.

Suadet & inducit noctes vigilare serenas) Cicero in somnio Scipionis *de lectione fessum*, & qui ad multam noctem vigilassem, arctius quam solebat complexus est; *ad eo vt, neque cubitum cõcedendi impetrata venia, pro culcita pluteum, pro ceruicalibus libellos haberem, somno tamen, quo nunquã altiori, indormirem. Sed vix, credo, lethæum poculum libauerã, cum desuper constratum Musæi*, Petronius *huiusmodi vox*, virilis illa, & auribus meis penè familiaris, *intonuit*. *Ehus tu*,

Lucretius lib. 3 Qui somno partẽ maiorẽ cõteris æui,

Virg. æn. lib. 4. Nec quę circumstent, te deinde pericula cernis.

Caligantes tunc oculos aperire mihi videbar, & ecce propè me adstitit iuuenis cælestis prorsus forma; Apuleus in Apol. 1 nam facies illi decora, & succi plena, & hilaris: tum decenter vtrimq; lanugo malis deserpebat, & in capite crispatus capillus sub imo pilei vmbraculo apparebat: super tempora autem pares pinnulę æminebant, *pedibus verò nectebat talaria*.

Virg. æn. lib. 4. Aurea, quę sublime alis, siue æquora supra,

Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

ba-

balenariam deniq; virgam quatiebat, qua

——— animas ille euocat orco, Idē ibidē.

Pallentes, alias sub tristia tartara mittit;

ita vt Mercurium *superum, inferumque commeatorem, atque eloquentiæ datorem, haud dubiè cognoscerem. Igitur ad tanti* Numinis *præsentiam*

Obstupui, steteruntq; comę, & vox faucibus hęsit. idē æn.l.3

At ille, vt me pauidum, pallentemq; conspexit, bonum animum habere iussit; nam meo publicoq; studiosorum bono factum, vt ad me veniret id temporis; Senatus enim in curia Parnassi habendus est inquit,

——— vbi primos chrastinus ortus

Extulerit Titan, radijsq; retexerit Orbē. Virg.lib.2 æn.

quo in Senatu, cum de summa re litteraria sit agendum, nouo, atq; inusitato more adesse iubèris ab Apolline *bonarum artiū præside, litteratorum* Patrono. *Sed ante quam illuc te sistam, illud pro tuo in me perpetuo cultu, te monitum velim, dicas tibi, nominique tuo ingentes à multis impactas, à quibus nisi te defensum ieri;* licet ad tubicines mittàs; *dolent enim litterati ferè omnes, atque ij præcipuè, qui,* Petron.

— penetrant aulas, & limina Regum;
tua socordia, seu potius veterno accidisse, vt cũ in aula Medicea *verseris haud inops omnino à bonarum artium studijs, nihil tamen tibi adhuc contulerint diurni, nocturniq; labores, quà ad vtilitatem, quà ad laudem; notantq; te tamquam* Principum amicitia diu prospere, nunquam bene vsum; *pessimo, vt aiunt exemplo, quo in posterum litteratis viris, qui Principum sunt famulatui addicti, iter ad opes, ad gloriam præcludi videtur. Hæc ille. Ast ego, cui dolor omnem ex animo sapientiam expectorabat,*

Cornel. tacitus. 4. ann.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
noli, inquam, sugillare miserias meas.

Horatius Carm. lib. 1. Od. 10. Claudian. in Ruf.

Sępe mihi dubiã traxit sententia mentẽ,
fato ne res *litteratorum,* & necessitate immutabili an forte voluantur; *nunc vero vsu id probè comperio* Apollinẽ *istum scientiarum arbitrum, stertere multis iam sæculis supinum.*

Tacitus ann. 6

Semotum à rerũ motu placidaq; quiete.
Hanc de me coniecturam domi facio,
ne foris quęram,

Lucretius lib. 1 Plautus Cistell. 1. 1. 6. 1.

Itaq; conuentum istum agi litteratorum bono, vix fides, licet de te audiam. Sed agatur esto.

esto. Quid tu me, non modo rudem bonarum artium, sed reum illuc ducere cogitas, nisi vt perdas? Scilicet hæc pro pietate reponis, qua te religiose vbiq; colui, qua tuas aras.

Sępe tener nostris ab ouilibus imbuit agnus? Virg. Ecl. 1.

Nam qui in loco ad dicendum amplissimo, ad agendum ornatissimò verbum mutire potero, de extrema litteratorum plebe, si metus, exercitam quoq; eloquentiam debilitat? Tacitus ann. lib. 5. *Sic ego; At Mercurius bona verba, inquit, nec enim is ego sum, qui peßumdare clientem meum velim, nec tu, prima iam linea Musas diligis. Sed nos tempus nec quicquam terimus. eundum est quo Deus ille vocat,*

——— graue, & immutabile sanctis, Statius Theb. lib. 1.
Pondus inest verbis, & vocem fata sequuntur.

cura autem ista.

Quę nunc te coquit, & versat sub pectore fixa, Ennius apud Cic. de senect.

Ego te leuabo. Dixerat, & pateram spumantis, vt rebar, vini plenam, propter animi æstum serio sitienti, porrexit increpitans;

ego autem ita impigre, auidèq; siccaui, nihil vt ad elidendum in pauimento sonum, ex liquore reliquerim. Ceterum nunquam mihi fuit acidius, nam

Ouidius Metham. lib. 14.

Vix bene combiberant ignotos guttura
 succos,
Cum subito trepidare intus pręcordia
 sensi,

ac non modo in ebrietatem, sed in furorem actus, continuo,

Catullus in Bachũ.

Vah, vah, Pater Lychnita, *dixi* quibus
 ignibus agitor?
Mihi mille iam ante ocellos noua lumi-
 na radiant.
Viden' vt nemus citato procul impete
 rapitur,
Humus vt tremens frequenti salit acta
 tripudio?

Mox caput ardor ingens inuasit, ita vt maxima febri vexatus, leonine prorsus rugirem; Sed cum

Idem ad Manlium

Tantum arderem quantum Trynacria
 rupes,
Lymphaq; in Oetæis malia thèrmopolis,

Repente frigidior hyeme gallica factus, in aquam, nec Phœbus aderat, solui me sensi; nam

nam adeo vberes ab oculis lachrimæ,

Ac gelidus toto manabat corpore sudor,

Vt præ me aresceret, qui

——— in aërei pellucens vertice montis — Idē ibidē.

Riuus muscoso prosilit è lapide.

Nec verò

——————— amplius horam — Idem ad. viuentiū

Suffixū in sūma me memini esse cruce;

Itaq; cum post meri Tyonæi furorem, ac febris ardorem, vehemens ille lachrimarū sudorisq; detonuisset imber, plenus audacia, Mercuri, dixi,

————— quem candida Maia — Virg. æn. lib. 8.

Cyllenes gelido conceptū vertice fudit;

Ardeo iam incredibili voluntate, quod antea horrueram oculis vsurpare,

———— & casus cognoscere tātos, — Virg. æn. lib. 3.

En igitur, vade, age

— Voca Zephiros, & labere pennis; — Idem l. 4.

Nescio enim quo pacto mihi quoque

Iam iam resident cruribus asperę — Horatius carm. 20. 2. Od. lib.

Pelles, & album mutor in alitem

Superne, nascunturq; leues

Per digitos, humerosq; plumę.

Dixeram; ille autem leniter subridens, volupe est, inquit, te ad sanitatem rediisse, inq;

ani-

animo cœlum incumbere,

Alteriusq; rapi naturę pectus amore;

Quod ferè omnes solent illustri loco nati,

Virg. 6. æn. — quantũ non noxia corpora tardant

Terreniq; hębetant artus, moribundaq; membra

Quibus grauatus, frustra ad Phœbi sacrarium aspirares, nisi potionem illam præualidam hausisses, cuius te virtus tibi, hoc est humanæ conditioni surripuit.

Hæc eo loquente videbar mihi sine vllo labore ad summum Parnassi verticem peruenisse, atq; omnium à tergo, subq; pedibus perspiciebam; ardua Montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum. *Quinimo iam præ oculis erat, noua rerum facies; Collis Heliconij,*

Apul. de asino aureo l. 1.

Catullus in carmine sæculari.

Syluarumq; virentium,

Saltuumq; reconditorum

Amniumq; sonantium,

Atq; vbique viridantibus comis, cæsariatæ telluris *aspectus amœnissimus. Sedibus denique illis visu fruebar.*

Lucretius lib. 3.

Quas neq; concutiunt venti, nec nubila nimbis

Aspergunt, neq; nix acri cõcreta pruina;

Ca-

Cana cadens violat; semperq; innubilus æther
Integit, & largè diffuso lumine ridet.

Quæ cum magis intuerer; Quæso, *inquit* Mercurius, quousq; his defixa tua mens erit? numne aspicis quę in loca veneris? *hæc dum diceret, nimio iam rubore suffuso, Regia apparuit admirabilis*, cuius tecta *fulgebant* eboris niue, argenti *luce*, flammis ex auri, vel electri claritate. *Huius autem è regione smaragdi viridissima rupes exsurgebat, cui Pegasus, veluti tunc fontem, vngula expressisset, ternis tantum pedibus insistebat, dextero anteriori sublato; vnda verò, quæ leniter, & non absq; metro fluebat mollissima alluebat prata.* Cicer. de som. Scip. Apulæius l. de mundo.

——— manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono
Vmbrosumq; nemus, quo non admittitur ales
Ni probet ante suos Diua sub iudice, cantus. Claudian. de nup. Honor. & Mariæ.

Per hæc amæna camporum indulgent choræis Diuæ, ac præcinenti Clio alternis respondent, sertaq; nectunt, non

Ex Veneris peruigilio.

——————— De fauoni paritu

aut de humore

Ex eodē.

Quem serenis astra rorant noctibus

vel fusis

Ex eodē.

Aprino de cruore, deq; amoris oculis
Deq; gemmis, deq; flammis, deq; solis purpuris.

sed illis de floribus,

Claud. de laudibus Ser.

Quos neq; frigoribus Boreas, nec Syrius vrit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes,
Fons Aganippea, Permessius educat vnda.

Quibus me omnibus impendio tenentibus, vocem ipse non tenui; sed nec mihi votorum licentiam indulsi; itaq; posito suppliciter genu; ò, dixi,

Idem de laud. Herculis.

Pierium columen, cuius Parnassia magno
Numine templa sonant;

Lucret. l. primo,

Cui rident æquora Ponti,
Pacatumq; nitet diffuso lumine cęlum,

Petron.

Ne fastidias Aulicum inter cultores admittere; inuenies religiosum, si te adorari permiseris. *Secundum hanc deprecationem,*

nem, occlusam licet ianuam adorabam, in qua Mulciber,

Æquora cælarat medias cingentia terras, — Ouidius lib. 2.

Terrarumq; Orbem, Cælumq; quod imminet Orbi;

Cum sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæq; subito fores admiserunt intrantem, *& votis vsq; ad inuidiam felicibus, vt fruerer effecerunt. nam Phebi cæterorum Ducis, ac moderatoris astrorum maiestas absq; nube refulsit, ac penitus se se mihi ostendit, qualis videri* — Petron.

Celicolis, & quanta solet. — Virgil. æn. lib. 2.

Inuitatus ego tali aspectu, proprius accessi, & paulo fidentior intra limen memet feci, ac cuncta curiosissimis oculis cœpi lustrare. Nulla autem vox est, quæ loci illius formam, & maiestatem possit compræhendere; nam quidquid dixero minus erit. *Singulæ latissimæ domus partes, sine præcio præciosæ erant. ego ipse gradiens, nō nisi gemmas, & monilia calcabam; in pauimento enim ardentes lapides cæsim diminuti, ita fulgurabant, tam concinnè dispositi erant, atq; in tot figuras se se induerant, vt* — Curiæ Parn. descriptio.

Zenodori Asaròton rude esset opus, rus merum oleret. Iam laquaria, iam parietes, iam subsellia parietibus applicita, e solidis massis aureis splendore proprio micabant, vt diem sibi suum domus faceret, Phœbo licet nolente, qui fraterna Lyra, pharetraq; humerum insignis, suggestus, quem insidebat pulchritudinem, pulchriori luce cælabat. Sed enim quantum hebeti oculorum acie perspicere potui, iuxta solium alipedes ancillulæ albæ nigræquè, diei sedulo noctiquè ministrabant; dierum autem, noctiumquè curriculi, ordiebantur menses, texebant annos, anni verò seriem conficiebant sæculorum.

Phebi ornatus, ac cultus.

Quæ cum me suspensum haberent, audio murmur insolitum, & veluti aduentantis turbæ fremitum, non aliter, atq; in pratis.

Virg. 6. æn.

——————— vbi Apes æstate serena
Floribus insidunt varijs, & candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus;

Nec falsus animi fui, senatores hos esse, de quibus Mercurius me docuerat, frequentes adfuturos, vt mei capitis periculo, de summa

ma re litteraria disceptarent. Verum ego velut candidato alicui essem nomenclator appositus, fiducia plenos oculos in uenientes coniyciebam, ac mihi constantissimo vultu de omnibus notabam,

Qui genus, vnde domo. Virg. æn. lib. 8.

Sed mirum, ac penè incredibile dixerim. illorum vultus, oraq; non tunc primum visa ediscere, sed longa potius temporis intercapedine oblita, reminisci videbar. Vnum tamen fuit, quo me territum haud leuiter, fatebor ingenuè; nam togati omnes, licet laureati pauci, incedebant; ego autem sagatus, militumq; instar versicoloribus pennis coruscante pileo, aspectabam intrantes, donec inter cæteros, Philippus Comminæus, *ac* Balthassar Castillionius *mihi occurrère, non solum lacerna induti, sed* Comminæus *velut ab itinere petasatus etiam atq; ocreatus,* Castillionius *verò, tamquam recens choræas duxisset, aut in Vrbinati Aula illustrium virorum fœminarumq; cœtus frequentasset, vnguentis delibutus, floribus scatens, cum chirothecis, aureo torque ac vermiculato indumento.*

Senatores togati omnes.

Præter Comminæum ac Castillionium.

Eorũdem vestium cultus.

Iam spiritum ego tali aspectu collegeram,

pudo-

pudoremq; omnem abieceram, & commodum litteratorum agmen, quod primum curiam occupauerat, vt reliquis pateret aditus, in alas se se explicarat; cum ecce tibi, veluti victoris exercitus manubias, baiulos video, hinc inde senatoribus stipatos, præualidos licet, & gigantea nonnullos statura, sub onere labantes. Petrus *hosce* Victorius *præibat, quem primo occursu exactorem* Parnassi *putaueram, donec exoneratis baiulis, mercem illam librorum esse cognoui, quot quot in Europa cuduntur, quorum, nequis in instructissima, atq; elegantissima* Apollinis *Bibliotheca desideretur,* Petro Victorio *munus iniunctum fuit.*

Onerati baiuli curiam intrant.

Quos præit Petrus Victorius.

Tu vero quare inter baiulos locum non quæsinisti? fortasse non erat tibi locus.

Idem conquirendis libris præpositus.

Verum enim verò, dum mira hæc admiror, vix risum continere potui; nam inter vectores illos pannosos, fricti ciceris nucisq; emptores, nonnullos conspexi viros illustres, & quos iam diu in Cælum, ne dum in Parnassum, receptos putabam. Hic Annibal Carus, Traianus *hic* Boccalinus, *hic* mistæ, *sacrisq; initiati aderant multi;* Germani *verò,* Galli, Britanni, *meritoriam ferè replebant cohortem; omnes tamen ve-*

Carus, ac Boccalinus inter baiulos,

Sed & Transalpini multi, ac Britanni.

stem

stem mutauerant, atq; vt intuentium oculos fallerent, personati incedebant. Qui personati omnes.
Ceterum mihi, qui Mercurij *beneficio, cum* Glauco *paria feceram, omnia patebant, illo tamen vno in omnem admirationem ire coactus sum,* Carum, *ac* Boccalinum *tam vili quæstu, ac tenui, vitam tolerare; & licet quid rei esset suspicarer,* Mercurium (*qui mihi vni conspicuus, à me non sequus, ac* Minerua à Thelemaco *ne lato quidem vngue discedebat*) *quæsiui; & potes ne, inquam, dicere, quod ob facinus magna hæc mundo capita in opera damnata sint? Tum ille, non dedecoris hic, aut flagitij dant pœnas, inquit; sed quantum in humanis mentibus possit ambitio demostrant; etenim præcipua horum pars, quos sub onere librorum sudantes vidisti, litteratorum est, sed ex illa nota, quæ vix digna nota; numerus scilicet ac manus litteratorum fundorum.*

Ambitionis impotentia.

Magnos viros baiulos agere adegit.

——— fruges consumere nati. Hor. lib. pr. ep. 2.

Quibus senatus omnium suffragijs negatus cum sit, quod senatores nequeunt, mercenarij vsurpant, fraterni Numinis, ac loci huius sanctissimi conspectum. Indolui ego, & de cæteris vt sileam dixi, Cari, *ac* Boc-

Quibus alia ratione Parnassus non patebat.

Tui ipsius misericordia motus.

calini *quid doctæ meruere manus, vt tamquam profanum vulgus arcerentur? Hæc ego; ille autem placido sic addidit ore.*

Quibus Carus Parnasso prohiberetur.

Annibalem Carum, *carum fuisse* Musis *haud negauerim; noluit tamen* Phœbus *illum Ciuitate donare, quippe qui magno Principi à secretis, non erat cur ex alia sibi arena coronam conquireret; patentissimum enim campum habuit, in quo, si sanus, ingenij curriculo, gloriæ metam contigisset; nam cum multa diuinitus a Numine hoc inuenta, atq; instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod artem quemq; suam profiteri voluerit. Quid autē arcana Principum virorum, & belli, pacisq; consilia, quid quotidiana, sedulaq; scribendarum epistolarum cura (quæ ferè semper Principum existimationem attingunt) cum Musarum lucis, ac locis, quæ ociosas vt plurimum mentes, vacuasq; requirunt? Denique cum vulgo, qui à secretis Principibus sunt, à manu dicantur, sapienter decreuit* Apollo; *vt in bicipiti* Parnasso *somniare desinant, ac commissæ sibi prouinciæ inuigilent, atq; inhiantibus, ne dum apertis oculis in illam incumbant;* à manu,

Artem quemq; suam profiteri præclarum.

quæro quā scriptor esse profiteatur?

Musæ ocium adamant.

Appollinis decretum in eos qui à secretis.

&ab

& ab oculis dici.

De Boccalino *verò longior est querela, ac vehementior, quam tribus ut verbis explicetur. Est hic Hispanorum lectissima manus, qui, si ille in senatum admittebatur, ingenti huius loci damno, discessum adornabant; eo enim iure, quo qui optimo, rebantur non posse sibi cum eo conuenire, qui Hispanam verecundissimam gentem, maledictis incesserit, nec Genio pepercerit Maximi Regis. Nouit* Phœbus *quot quotidie eos causæ collisissent ac per orbem distulissent rumoribus; prudenti itaq; consilio, sua sibi habere* Boccalinus *est iussus. Præterquam quod, Hispani in illum non fuerint infensi. multis alijs nominibus* Parnassus Boccalino *non patebat; etenim plerisq; in dicendo videtur*

Cur itent Boccalinus à Parnasso arceatur.

Primum quia hispanis infensus.

——— nimis acer, & vltra
legem tendere opus ———

Tum quia in dicendo nimis acer.

Hor. sat. pr. lib. 2.

Medice cura te ipsum.

Et Stylum ipsum, ac characterem, quo in scribendo est usus, nescio quid olere hirco peius; non verborum, non sententiarum delectum illi esse curæ: potrita, vel obsoleta verba adhibere, & semiuulgariter, semique latinè loqui. Et memini cum illius

Deniq; ob Italici sermonis infectiam.

amice, festucã vides in oculo fratris, trabem autem tuam nõ perspicis

causa peragetur, mitissimum virum, Franciscum Petrarcham (*cuius profectò orationem, si italicè loqui voluisset*, Phœbus *ipse imitatus esset*) *tam vehementer excanduisse, tam seuera tristitia maculari aures Hetruscorum*, Boccalini *putido sermone indoluisse, vt in illius gratiam* (*id præsertim enixè rogantibus* Ioanne Boccacio, Ioanne Casa, Ludouico Areosto, Torquato Tasso, Ioanne Baptista Strozza, *alijsq; eiusdem purpuræ viris*) S. C. *faciendum decreuerit, quo in posterum caueatur, ne quis huius authoritatem loci attingat*, nisi exornatæ orationis curam, cum rerum inuestigatione coniunxerit.

Frãciscus Petrarcha, ac reliqui Hetruscæ linguę Principes. Boccalinum perosi.

S. C. in gratiam Hetruscorum factum.

nescio quomodò Hic homo tãquã ut mihi velatum est, Poetatus sit,

Vis tibi, & Transalpinos *illos*, Britannosq; *detegam? aduerte animum, paucis fabulam bene longam expediam. Scis* Charites, *quas latini* Gratias *dixerè, multas esse cum musis; quinimo, nisi ipsæ condiant Doctorum monumenta, nihil omnino sapere, non aures tenere, non Apollinis gutturi probari. id probè illis accidit. ingenia prout corpora ingentia, sed inuenusta habent. plura euoluere volumina, omnia excerpere nata; at verò, vt in sanguinem,*

Cur Transalpini, ac Britanni à Parnasso eliminati

Eorum in relittera ria mores

suc-

succumq; proprium, quæ è libris hauriunt, transeant, efficere nequeunt stomachi resolutione, ac frigiditate; quem in morbum, ob infinitam illam lectionem, qua vnicè gloriantur, incidere; ita vt, optimè in illos conueniat, eruditi quædam viri sententia. In memoriam, non in ingenium ire, adeo operosæ lectionis fructum. Deniq; cum Itali id neruis omnibus contendant, vt apum more, hinc inde in hortis litterarum libatis floribus mel conficiant, nec Cassiam, nec Thymum, vel Rosam, aut Achantum redolens, sed merum mel sapiens; illi contra canum instar pro vt vorant flores illos, herbasq; vomunt indigestas; hinc nusquam in suis libris eos videre cum sit, non in materia, non in verbis, non in sententijs, alios passim, totosq; videre potes, quos excribunt, vertunt, corrigunt, vulgatores excerptorum, concinnatores tabularum, intemperanter, & ocio abutentes, & litteris, idq; vnum sedulo agentes, pullatis vt nugis, immo pollutis vt scrutis,

Macrob. de somn. Scip.

Italorum moribus aduersi.

Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

Persius sat. 5.

Hæc Mercurius. *Sed iam oculos, men-*

temq; meam in se litterata legio cõuerterat, quam furente Percennio *ab Imperatoris sacramento deficere dixissem, si in rigenti* Pannonia, *non in ridenti* Parnasso, Blæsum, *non* Apollinem, *armatos, non togatos vidissem. Erant propè Numinis Solium Sarcinæ illæ librorum dispositæ, cum repente* Phœbus *digitis gubernantibus vocem, quod faustum nobis Reiq; pub. litterariæ sit, aperite, inquit, sacculos, & horum annorum exagogam, Europæ diuitias examinate. Classicum cecinisse diceres; nam dum alius Sarcinis affert curiosas manus, & suturas gladiolo secat, alius volumina explicat, & artis, quam quisq; profitetur monumenta conquirit, dissonis non solum omnia vocibus resonabant, sed multi concidebãt valentiorum impulsu, fœdaq; volutatione implebant Senatum. Hic* Ronzartes *Poeta Gallus haud inelegans, sed corporis viribus stolidè ferox, ita* Annæum Lucanum *terræ adflixit, vt summo soluto capite, sanguine pauimentum commacularetur, quem postea* Phœbus *vt verecundiam simul, doloremq; leniret, Laurea donauit, & quod numquam antea,*

Tumultus in curia Parnassi in librorum sarcinis explicandis.

Lucanus à Ronzarte terræ adflictus.

Laurea ab Apolline donatur.

tea, in posterum gestare est passus; multum Lucretio Caro *indignante, cui pulcherrimum authoramentum parui stetisse* Lucano *videbatur.*

At Phœbus *increbescentem tumultum perosus, baiulos inde libros auferre iubet; qui Sarcinis in altum compositis adorato Numine exeunt curia, ac* Petro Victorio *Duce Bibliothecam intrant,* Lypsioq; Magno Apollinis Bibliothecario *tradunt librorum aceruos, quibus ille inter accepta referri iussis,* Victorium *adsequitur, atq; in curiam se se corripit, vbi iam* Dyonisius Lambinus, *qui omnium vocalissimus habebatur,* Apollinis *iussu, authorum, qui libros concinnauerant, legebat elenchum;* Phœbus *autem, si qui digni extitissent* Paulo Manutio supremo Cancellario *innuebat, qui delectos stylo excipiens, in quodam albo notabat. Permultos igitur viros non solum claros, sed caros mihi, atq; iocundos referri audiui, qui tum ex vetere latio, tum ex recenti, & vincta, & soluta oratione dicendi doctores, atq; artifices, ius* Apollineæ Ciuitatis *adipiscebantur; qui cum in duas veluti classes centuriati essent, non di-*

Lypsius Apoll. bibliothecarius.

Dyonis. Lambinus maxime vocalis.

Nomenclatorem agit.

Manutius Phœbi Cancellarius.

Refert in album librorum authores.

Qui tum latini, tũ Itali. Binas faciebant classes.

gnita-

gnitatis, sed vetustatis gradum seruabant; ita vt, qui Principem obtinerent locum, quiq; gradatim post illos censerentur, non styli acumini, vel orationis facundiæ, aut multiplici rerum cognitioni, ac scientiæ, sed Crono, atq; ætati, prærogatiuam acceptam deberent referre.

Sed ætate tantum prerogabantur.

Ceterum eorum, qui sub signis Populi Quiritum meruerant, agmen ducebat Antonius Quærenghus

Antonius Querenghus latinorum agmini præest.

Laurea donandus Apollinari
Seu per audaces noua dythirambos
Verba deuoluit, numerisq; fertur
Lege soluta.

Latini auctores.

Plurimi desunt quos hic uel numquam legit uel non intelligit.

Erant verò Iacobus Pontanus, Iulius Cæsar Stella, Curtius Pichena, Petrus Strozza, Alexander Rinuccinius, Bernardinus Stephonius, Martinus Delrius, Ioannes Cerdo, Tarquinius Gallutius, Marinus Ghetaldius, Famianus Strada, Iulius Cæsar Bulengerus, Cosmus Minerbettus, Thomas Dempsterus, Ericius Puteanus, Osualdus Crollius, Ioannes à Chokier, Ioannes Barclaius, Iacobus Gutherius, Petrus Victorius. *Agmen verò hetruscorũ, paucioribus, omnino, quam*

putaue-

putaueram, nominibus concludebatur. Quorum me nullum tanta dulcedine, ac proprium nomen pellexit, quod, vt primum Lambinus protulit, non aliter, ac Turnus *in* Lauiniæ *vultu, oculos in* Manutio *fixi, immortalitatis arrham ab eo expectans. Sed ille in* Apolline *obtutu hærebat, ita vt, moræ ego impatiens, ad genua* Mercurij *prouolutus, si trabali clauo, dixerim, beneficium figere cupis, excita consopitum senem, & ne omnis moriar, fac nomen meum excipiat, atq; in* Album *æternitatis referat. Quibus renidens* Mercurius, *& nescis inquit, ad nominis perpetuitatem litteris promerendam,* Res gestas, earum Famam, & Principum veniam, ac litteraturæ testimonium requiri? *Ex quibus res tantum, libri scilicet, laboresq; tui, tibi supersunt; Fama deest, nec* Principum *diplomate, adhuc doctus haberis; at bono animo esto: iam tibi ad immortalitatem strauisti iter; nec fama tibi, nec* Principes *deerunt, nisi tu ipse tibi.*

Hæc ille. ast ego inter spem, metumq; anxius, obmutui; quid Magni Senatores

Aulici nomen, inter librorũ authores.

Cur à Manutio in Album nõ referretur.

Quæ requirantur ad nominis æternitatem litteris promerẽdam.

Petrus Angelus Bargeus quid mali fecit?

Audax Japeti genus, Cælũ ipsum petimus stultitia: Hor.

desunt, ut dicitur, boni vicini. Ideoq; de se ita a semetipso, loquitur.

melius tibi fuerat fecisse prius

agerent attendens, qui omnes iam sessum iuerant, cunctaq; subsellia occupauerant; ego autem oculis omnia collustrans, nec locũ in quo reciperer vacuum videns, at, nec virum, qui tralatitia me saltem humanitate inuitaret, tum deniq; primum bona fide reum me esse cognoui, & Mercurio, *quid hoc est, dixi, Senatus ne habendus, an potius venatio aliqua edenda, vt solus sic in arena relinquar, donec è cauea feræ producantur, cum quibus congrediar? Ille autem, iam scies, inquit. Et cum ad aurem*

Petron. Phœbi *nescio quid insusurrasset.* Ita ita inquit Phœbus, cur non, quia bellissima occasiõ est, & *ad hoc conuenimus, vindicetur dignitas litterarum? Continuoq; propè* Phœbi *suggestum, sellæ curules duæ collocatæ sunt,* Crispo Salustio *vna,* Philippo Comminæo *altera, qui, cum illius anni consules essent, ad Senatum de me referre debebant. Illi vero statim è minutis subselliis, in nobiliorem locum auolarunt, ego autem ad tribunal rapior. Et* Phœbus quid est *inquit* fastuose, ec quid bonam mentem habere cœpisti? Intremui ego post hoc fulmen attonitus; *Sed memor*

Salustius, ac Comminæus cõsules.

Petron. Phœbus Aulicum alloquitur.

qualis eu? ibi uidens?

magis

magis vnde profectus essem, quam quæ in loca venissem, Spartana nobilitate ictum concoxi, & ad Phœbum pallenti fiducia, aulice prorsus, Domine, inquam, de mentis meæ bonitate, tu iudex esto, qui sæpius illam non solum inuisis, sed reples. ego sic semper, & vbiq; vixi, vt præ tuo cultu, cætera nihili ducerem; quod si non ritè, aut secundum morem tanto Numini fecerim, placebo tibi, si me culpam emendare permiseris. Delectatus ille argutia mea risit tam blandum, vt viuidum extra nubem os videretur proferre.

Aulici ad Phœbum responsū. Paru[m] videtur

Petron.

Sed iam Senatores turbas faciebant (verentes credo ne nouitas ipsa gratiam mihi Numinis cōciliaret) iam qui in me dicturi erant, silentium manibus deposcebant, cum cunctis ab Apolline silentium dare iussis, consulibus, vt referrent, imperatum est, qui cum inter se capita contulissent, surrexit Philippus Comminæus, & oculis ad Phœbum, mox ad Senatores reliquos conuersis, festinantis more, sic dicere est orsus.

Nouitas gratiam cōciliat. Audacter nimis.

Quid mihi litteræ profuerint, Clarissime Numinum, Prudentissimi Patrum, in regia aula, bellicis potius artibus, quam litteris innutrito, & Orbis ferè cunctus nouit, quem di-

Cōminæi Oratio.

Qui bellicis potius artibus quam litteris innutritus.

D uersas,

uersas, magnasq; legationes obiens, peragraui, & Sanctissimus hic locus declarat, qui me cæteris senatoribus annumerari dignatus est; quo quidem, nihil mihi vnquam honestius, nihil optabilius, gloriosius nihil accidere poterat. Ceterum (neq; enim animi sensum occulere coram tanto Numine *aut possum, aut debeo,) cum primum huc veni, dolui vicem meam, qui omnes veluti maiores, ac propè Deos venerari deberem, nullum autem hic ex Aula mei ordinis viderem, quo cum liberius, & agere, & conuiuere possem. neq; verò omnibus primas deferre pudebat, sed illud me potius angebat, contra patrios mores tetricos vbiq; vultus, & quos philosophos decet, conspicere, aut nocturnis chartis pallentes Historicos, & Oratores, aut diuino furore percitos, mentisq; vix compotes Poetas; Astrologos denique, Mathematicos, Iurisperitos, Medicos, cæterosq; litterarum professores, amicos quidem ducebam; sed vetus omnes prouerbium nostis.*

Dolet, nullum in Parnasso Aulicum reperisse.

Pares cum Paribus facillime congregantur.

Cic. de senectute.

Vnum ego intimis semper votis flagrantissimè cupiebam, ex illo ordine, in quo ego ordine stipendia fecissem, litteratorũ numerum, Phœbi *cultum augeri. Sat ego sciebam,* Im-

Eiusdem votum.

peratores, Reges, Principes *esse multos in* Europa (*nam de* Africa *atq; de* Asia *iam diu conclamatum est*,) *qui ingenua capita, liberalia ingenia alerent, in sinu, atq; in oculis gestarent, & tamen, satis intelligere non poteram, cur nulli huc ex* Aula *pateret aditus ex cultiori, atq; amœniori parte orbis Terrarum. Cum demum aliquãdo, æquis me Deus oculis aspexit, ac dolori meo, solamen peropportunum adhibuit; nam* Balthassar Castilionius *summo omnium consensu in hunc locum receptus est, cuius ego laudibus parco, ne modestiæ officiam. sed vix, vir probus, & doctus semel senatui interfuerat, cum innato gentis humanæ vitio, de penuria* Aulicorum, *qui* Lauream *laborum præmium caperent,* Parnassum *incolerent, mecum queri impense cœpit; ita vt, illius optatissimus aduentus, non leniret dolorem, sed accenderet desiderium æstuantis. Sæpe igitur* M. Tullium, *atq; hos, qui eumdem eruditissimum puluerem attingunt, collegam meum* Crispum, Cæsarem, Liuium, Senecam, Petronium; *Sæpe ex nupero litteratorum fœtu* Paulum Manutium, Victorium, Lypsium *conueniebamus, & nostri ordinis sortem, non paratis ad ostentatio-*

Castilionij in Parnassũ aduentu impletum.

Qui in eadem cum Comminæo naui, queritur de aulicurum ibi penuria.

Inter frequentes senatores proposita quæstio, de aulicorum litteratorũ ignauia.

nem lacrymis lugebamus, serio indagantes, in quem, siue Deorũ, siue hominum adeo portentosæ ignauiæ culpa conferenda esset. Sed eo iam dicendo perueni, quò vos etiam, atq; etiam rogatos velim, P. C. patiamini me æquo animo, horum dierum acta repetentem, ex quibus huiusce disceptationis initia ducuntur. Nunc fidem memoriæ tuæ Annæe Seneca appello, cum ex condicto in tuis ædibus proximè præteritis nundinis animi gratia conuenissemus, quanta fuerit litteratorum vel admiratio, vel querela de hoc ipso disputantium, ita vt, non priuata Aulicorum sed publica litteratorum res, agi videretur. Quam ibi breuem, quam acutam, quam omnino grauem, acri uir iudicio, & prudenti, & exculto C. Cornelius Tacitus sententiã dixit? qui omnem culpam reijciens in Principum auaritiam, viuida ab illis ingenia, atq; ad æternitatem nata, non sequus, ac nascentia è terris semina, aut protuberantes è calice flores, congestu lapidum, obrui paupertatis onere querebatur. Quam autem copiose, quam magnificè, quam diserte, Marcus Tullius calumnia Principes liberauit, ac sempiternis maculis Aulicos inussit, quos, vel nil aliud animo, quam corpori contuber-

Cuius culpã in Principes Tacitus reijcit.

de te autē nō intelligit, quia erga te nimis profusæ liberalitati principes tui exercuerunt.

Tullius verò in Aulicos.

tubernium facere clamabat, vel ſi parumper promouiſſent, ſi ingenium ad carmina, aut ad ſolutam orationem à natura accepiſſent, dum ſalibus, & leporibus conuiuiorum, ac coronarum continentur, ſcriptiſq; abſtinent, quibus immortalitas nomini paratur, atq; ad hunc locum acceſſus, canorum illud, ac profluens cũ ipſis ſimul extinguitur. Et profectò, ſiue Tulliana *eloquentia auribus inſidias faceret, & mentem iudiciumq; irretiret, ſiue veritas ipſa alliceret homines, quot quot aderamus omnes in illius ſententiam vltro veniebamus. Cum Ioannes Pichus Mirandulanus, immo* Phœnix Itala, ſecretioris conſilij, ac ſummus aulæ præfectus, *monuit nos maiora hæc, ac ponderoſiora eſſe, quam priuata ſubſellia, exedræq; patiantur; non enim quæ hunc, aut illum litteratum tangant ea iam eſſe, ſed quæ ad vniuerſam ſtudioſorum Rempub. pertineant, qui omnes fato, an delectu, quæſtus, an gloriæ cauſa, aulas conſectantur. Igitur ſummum tum viri iudicium, tum authoritas, velluit* Patribus *aures, vt Senatu habito, quod plerumq; in atroci negocio ſolet, decreuerint* Patres, *daremus nos* Conſules *operam,* ne quid Reſpub. detrimenti caperet. *Omnia*

Cui vltrò ferè omnes aſſentiuntur.

Ioannes Pichus eiuſq; munus.

monet Senatores de propoſitæ quæſtionis magnitudine.

Litterati aulas cur ſectentur.

nunc

nunc ego gnauiter acta video, nam, & reum quemdam Aulicum adesse intelligo non penitus illitteratum, & ex frequenti hoc vestro consessu, vultibusq; conycio, ad causam venisse paratos. Quod si vnius Aulici *capite litteræ ipsæ in pristinam dignitatem vindicabuntur, nonne ego habebo dolori meo maximas gratias, qui tandem in publicum bonum aliquando eruperit?*

Dixerat Argentonius & Phœbus, *audistis inquit. P.C. quo in discrimine res nostra versetur. nunc age, quoniam horum dierum conuentibus ipse non interfui, qui Principes in dicendo fuere, suam quiq; mihi sententiam peragant.*

Manutij in Cicer. obsequium.

Silebat Phœbus. *cum* Muretus *exclamauit abesse alterius partis Principem* M. Tullium, *nec posse citra summam iniuriam illius damnari sententiam, qui publico legati munere apud* Iouem *fungatur, quod futurum medius fidius asseuerabat, summa* Cornelij Taciti *gratia atq; eloquentia.*

Tacitum prouocat.

Huiusmodi dictis, Taciti *violentia exarsit, & quasi, inquit, actum non ageretur, aut tu* Murete *illius in curia personam gerere non posses, qui vix, nisi tertio quoque verbo*

bo interpellaßes, domi eum dicere in magna Senatorum frequentia siuisti. Sed quoniam diuina id virgula accidit, vt Ciceronis *discesßus, illius te partibus præfecerit, noli quæso, de illa absentia queri, quæ ad tantum te gloriæ promouit. Quod autem nos inuidiæ suffundis gratiosos, facundosq; clamando,* vide ne deteriorem facias confidentia causam. *Quamquam quis amplius dissimulationibus, ac tergiuersationibus locus?* Aulicum *nonne hic habemus, qui* Petron.

Totos dat Tetricæ dies Mineruæ. Martialis.

Et non semel in arenam litterariam descendit? nonne illius libri in bibliotecha patent, qui, (ò fortunæ etiam in serijs, quæq; tuæ ditionis non rebar, lusum mirabilem) canescent sæclis innumerabilibus? Quid igitur subtilibus necquicquam disceptationibus quærendum est, quæ nubes, quis liuor, quod pestilens sydus hominem illum afflauerit, vt iam diu vulgata opera, serò nimis eius ad nos nomen detulerint? Iurato credite mihi P. C. non Aulicorum pedes frigore tentari, sed Principum hodiernorum manus, horum liberalitatem, non illorum ingenium eße effœtam, atq; illud pro comperto habetote, præcipua

Tacitus 1. hist.

pua semper validiorum fuisse vitia, auaritiam, atq; arrogantiam. *Hinc illæ in eos sordes influxerunt, quas nulla Thetis possit abluere*. Nullum esse fundum liberalitatis. Magnum esse vectigal parsimoniam. *atq; hæc eadem arcem illam in Principum mentibus excitarunt, quam omnes litteratorum machinæ non sint exturbando.* languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nul lus ex se metus aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignaui, Princibus graues.

Tacitus 2. Ann.

Mureti animi consternatio.

Nec verbum mutibat ad hæc Muretus; *quinimò consternatus animò, veluti tunc primum de* Aulici *vulgatis operibus, atq; in* Parnassum *receptis audiuisset, frigida, & gallica penitus vrbanitate, gaudeo* Ciceronis *mei mēdacio inquit, quod rei litterariæ dignitas aucta compensat; quod si æq; ad scopum neq; tu* Corneli Tacite *collimaueris, atq; aliquis nunc nobis* Princeps *exoriatur, qui liberales disciplinas alat honore, foueat vtilitate, nonne causa vtriq; vestrum cecidisse, quam litem secundum se accepisse gloriosius ducendum? consumpserat Manutius frigidißimum schema, &* Taciti, Tulliiq; *sectatores idem assen-*

Eiusdem Schema.

su

su fremebant omnes; egoq; satis iam defensam meam causam ratus, parum abfuit, quin Iò triumphe exclamarem, & publicam lætitiam priuatis acclamationibus prosequerer. cum repente Leonardus Coquæus (Socraticum pectus, & humani diuiniq; iuris peritißimus) antiquo more præfatus, licere oportere Senatori de republica loqui, ò tempora, ò mores inquit. nec pudet te Tacite in hoc sacratißimo Orbis terrarũ loco hodiernos Principes maledictis incessere, qui te veluti Numẽ colunt, doctrinamq; tuam sicut è cælo dilapsam, mordicus tuentur, ac venerantur? Sed ego te nil miror, aut moror Tacite qui Principibus placuisse viris vltimam semper laudẽ ducèns, in optimos quosq; inuectus, mortuorũ vituperatione, viuentium odia aut meruisti, aut irritasti. Nam quid vnquam (vt è re nata tecum aliquando pedem conferam) Augusto Principe maius vidit Orbis terrarum? Quis pietate, quis armis magis excelluit? Quis alius, vel Regno, vel Dictatura, vel Consulatu, Rempub. Imperiumq; tam longinquis amnibus, tam lato Oceano diuisit, sepsitq;? cuius priuati viri prudentiæ, Principis liberalitati, magistratus iustitiæ tantum tri-

Coquæus in Tacitũ inuehitur

Augusti laudes.

butum fuit, vt nullo aduersante Senatus, Po puliq; Romani Magistratuum, legumq; iura in se traheret id temporis, quo cruda adhuc seruitus paruo conamine ab insuetis humeris depelli poterat? Quis, Domini, *insolens romanis auribus nomen, magis exhorruit aut de reddẽda repub. toties cogitauit? Nonne edictum illius in hæc verba habemus;* Ita mihi saluam, sospitemq; Rempub. sistere in sua sede liceat, atq; eius rei fructum percipere, quem peto, vt optimi status author dicar, & moriens, vt feram spem mansura in vestigio suo, fundamenta Reipub, quæ iecero. *In hunc tamen quas tu calumnias congeris, quæ tela iacis, quamq; pœnitus virtutes, quas modo laudaui è sua sede exturbantia? Nam quid per superum hominumq; fidem inhumanius, quid iniquius, quid vmquã in Patriam crudelius ab hoste immanissimo nedum à Parente indulgentissimo excogitari potest, quam latos, & vndequaq; patentissimos eius fines inuidia quadam coercere? Hoc tamen te callide, immò impie, nefarie interpretante, supremis mandatis decreuerat* Augustus. *recognosce tua verba Corneli.* Addideratq; consilium coercendi intra terminos

Suet. in Octauio.

quas Tacitus coniecturis suis detur pat.

Tacitus 1. Ann.

Im-

Imperij; incertum metu, an per inuidiam. *quorum ambigua pronunciatione certa inuidia Principem optimum inundas. Sed lenta hæc tela obtusaq; sunt, neq; cutem humanitatis, & si quo intenduntur perueniant, penetrantia. illa Martis, vt sanguinem non exprimant, tunica adamantina egent, quibus immoderatam eiusdem Principis ambitionem perstrinxisti.* Ne Tyberium quidē charitate, aut Reipub cura successorem adscitum, sed quoniam adrogantiam sæuitiamq; eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quęsiuisse. *Ita ne Tacite historiæ munus adimples? hæc tibi prouincia à veritate, quam profiteris demandata fuit, vt sensa occulta hominum, non solum interpretareris, sed etiam nullis ductus argumentis, in peius duceres? Hoccine est illud, quo vel tu* annales *tuos auspicaris*, sine ira, & studio tradere, *aut historiæ tota exædificatio constat.* Ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri nō audeat? *Sed quibus tandem argumentis id coniecisti, successorem adscitum* Tyberium, *vt comparatione deterrima, maiorem sibi gloriam pararet* Augustus? *An integra filiorū sobole, plena adoptiuorum domo, superstitibusq;*

ibidem

1. ann.

Cic. 2. de oratore.

Sed obliquis.

busq; nepotibus, segniorem, & mente, manibusq; inualidiorem elegit? aut potius Claudio Marcello *ex sorore nepote,&* Agrippa Gemero *fato functis, nec non* Lucio, Gaioq; Cæsaribus Agrippa *genitis, extinctis, & Agrippa* Posthumo *in insulam Planasiam proiecto (sæpius tua verba inculco Tacite, vt te ipsum in illis recognoscas) in* Tyberium, *qui solus, è priuignis supererat, iure omnia vergere, & filium collegamq; Imperij, consortem tribuniciæ potestatis adsumi, omnesq; per exercitus ostentari, tu idem ipse dixisti? excurrerem* Tyberij, *& bello, & pace partes laudes,* Augustiq; *&* Populi Romani *in illum beneuolentiam atq; amorem repeterem, ni susceptæ causæ deesse viderer, à qua tamen adhuc longè non absui; nam liuore, ac malignitate tua detectis, proniores mihi dabunt aures magni Senatores, dum tua dicta refellam. Deniq; (haud dissimulanter dixero) tui vituperatione, qui illos insectaris, Principum laudibus fidem astruo, quos ego, ob litterarum litteratorumq; patrocinium, summis vbiq; laudibus effero. Sed iam te linquo* Tacite, *vosq;* P. C. *compello, quos adhuc multos video sub toga diductum in torques, Gallicum, hetruscumq;*

Coquæi ad Senatores reliquos compellatio.

au-

aurum gestantes. ergo ne vos tanta; siue patientia, siue impudentia cœpit, vt iisdem auribus hæc dicteria in Principes accipiatis, quibus vestras olim laudes accepistis in illorũ ore verè aureas factas? Sed tantum ordinis nostri propudium per ora virorum dilatari, non patiar, non sinam.

Litterato rũ laudes Principes aureas effi ciunt.

Hæc Coquæus extra suum morem vehementi voce, micantibus oculis, magnaq; totius corporis commotione velut pugnæ velitationem, aut prolusionem orationis verba effudit; Tacitus verò, quod nunquam alias, rubore suffusus tacebat, Lypsium subinde furtiuè respiciens, qui complosis tenerius manibus, nihil aliud, quam veritatis vim esse maximam, silentio confitebatur. Sed Coquæus, tamquam ad signa vniuersa conferenda se comparasset, iterum surrexit, ac Ciceronis sententiã, non benè à Mureto propugnatam recensens, vultu, manuq; formatus in habitum oratorum, sic dicere aggressus est.

Quippe mitissim' lenissimus q; virorũ

Nemini profecto mirum videri debet, P.C. si huiusce tempestatis Principum aures, litterati Aulici nõ teneant, qui inuita pleraq; Minerua scribunt, & Veneres, Leporesq; non inter Musarum sacraria, lectione, ac medita-

Coquæi Oratio cur litterati aulici Principibus non placeant.

tione

tione aßidua, sed inter deuia Montium, aut per compita viarum, emißitijs oculis, ociosis (immo perdite nimis occupatis deambulationibus) venantur; subscisiuas horas, operãq; perfunctoriam disciplinis ingenuis impendentes. Qui inter hæc nutriuntur, non magis doctrina Principibus placere possunt, quam bene olere qui in culina habitant. hinc tardi illi ad gloriam non solũ, sed ad Principũ amorem progressus, quos (sacrosanctos scilicet, Deiq; immortalis vices gerẽtes in terris) nõ egelido isto animorum lasciuientium abortu, sed puriori victima, sed ingenij, quod excoluerit labor, fœcundauerit doctrina, maturis partubus venerari oportet. Quid igitur Principes in litteratos auaritia peccant, si litterati ipsi, non sinunt spes suas seuera lege proficere, sed ad vota properantes, vel ansietate munerum, vel ambitione honorum, cruda adhuc studia, & vmbræ potius Præceptorisq; informationis egentia, in lucem, in forum propellunt, eoq; adducunt Principes, vt leuius ducẽtes in homines peccare aliquot, quã in humanam naturam vniuersam, illiberalitatis notam, quam ignorantiæ subire malint. Hæc via est illa P.C. qua candidati, seu potius mi

niati

Petron.

Qui Principes venerari oporteat.

Litterati festinationi obnoxij, quæ illos sæpe pessundedit.

niati Aulici ad gloriam laureæ grassantur; hæ prensationes illorum, hæ sunt artes, quibus suffragia nostra mereri posse se putant, vt studiorum curru in hoc Capitolium triumphum agant, & cœlestis huius Numinis Mystæ renuncientur; quod si rectam haud insistunt viam, si mala alite soluit eorum nauis, si olentes merces respuunt emunctæ naris Principes atq; aspernantur, desinant aliquando, qui aulicis adsunt, maledicta in immerentes Principes iaculari, & potius aulicos petant, aut illis præsto non sint. Sed illud mihi nonnullos tacite obijcere suspicor, quod Tacitus palàm. huius aulici *scripta passim ab omnibus legi, multum doctrinæ, multum salis, leporisq; habere; & tamen nullos in eum, quam Principes fuisse immitiores, quorum dissimulatione, aut iudicio effectum fuerit, ne eius nomen cæteris doctorum hominum nominibus adsc isceretur. Nunc ego,* P. C. *ne causam confundã, singulis modum imponam necesse est. De Principibus primum, quorum hic nutu regitur, cuius illi causa male audiunt, tum de illo dicam, qui has turbas facere, ac pacatissimi huius Senatus sententias, in contrarias partes scindere potuit. Sed illud cum hoc exequar præstabo*

bo

bo, vt dum Principibus defensionem paro, ea quoq; afferam, quæ sint accomodata huic causæ, vobis, vt arbitror non iniocunda.

Vetus Mediceorum prosapia.

Gentem Mediceam *in Europa olim præcipuam fuisse, multa declarant; nam & in Græcia iampridem dynastæ aliquot celeberrimi Medicei vocabantur, nostraq; hac tempestate pulcherrima inter Europæ prouincias Hetruria, Mediceæ gentis arbitrio regitur, ac temperatur. Hæc ego præfatus, non de armorum gloria, non de diuitiarum splendore huius gentis dicam: non de artibus, quibus terram, mariq; celebratur. silebo illius in homines mansuetudinem, atq; æquitatem, in Deum pietatem, ac religionem. Infularum pondera, ac Diadematum, scettrorumq; fasces non recensebo. hoc vnum agam, vt nullam vnquam gentem in optimas disciplinas, studiososq; homines, propensiorem, munificentiorem fuisse, ostendam.*

Atq; vt hinc initium dicendi faciam, cum post miserrimam illam, & nunquam satis deploratam Italiæ cladem, obmutuissent litteræ, & nusquam liberalia studia, nusquam Musæ excolerentur, quis ab exilio ea primum reuocauit, & humanitatem Italis hominibus

veluti

veluti postliminio restituit? Huius, quam dicimus stirpis ramus multo procerissimus, Cosmus scilicet Ioannis filius Auerardi nepos, qui, raro quodam fato, cum ab exilio Hetruriæ, immo Italiæ humeris reportaretur, Musas à latio extorres natali solo restituit; quamobrem Patriæ Musarumq; Pater, digna nominis immutatione posthac fuit appellatus. Dic tu, Argyropole (nam opportunè admodum acclamasti,) qua te liberalitate, qua munificentia Byzantio Cosmus exciuerit, vt græcis litteris hetruscorum mentes imbueres? Nam de te Marsilį Ficine reticebo, qui multis ijsdemq; eruditissimis voluminibus Magno Cosmo nuncupatis, æs cum hac familia alienum, vel expungere, vel ingenuè profiteri voluisti. Sed iam orationis meæ cymba plenis subit ostia velis; iam superum delicium, naturæq; ocellus, Laurentius se se mihi dat in conspectum, qui, ne cœlum amplius, nedum Heliconem Musæ cogitarent, sedem illis perpetuam, ac magnificentissimam, omnium scilicet scientiarum Academiam Pisis extruxit, quo veluti ad litterarum Panegyrim, & ad nundinas, quibus animi bona comparantur, vniuersa Italia con-

Princeps in re litteraria Mediceorum meritum

Laurẽtius Medices.

Pisis litterũ gymnasium extruxit, & instruxit.

flueret. Quæ ego de Pisana Academia cum omnia deberem pro illius dignitate, aliqua possem pro meo captu; pauca tamen pro mea modestia dicere P. C. *ni, & de alia mihi dicendum vererer, quā Florentiæ in proprijs ædibus* Laurentius *celebrauit, quæq; hoc saltē nomine Pisanæ primas non detulit, quod* Phœbus *ei suus semper adfuit, præsentemq; vbiq; complexa est. Ego igitur, ne alterutri iniuriam faciam, si alteram reticuero, ac, ne vobis sim molestus, si vtrasq; longiori oratione complectar, dexteros pedes ex Academijs referam; video enim hic illius domesticæ clariora lumina, seu potius Soles,* Pichum, Ficinum, Demetrium, Landinum, Politianum, *qui mea illam non egere facula, vel facundia ostendunt. Pisana autem, iam fama per omnes regiones, oraq; peruasit;*

Et Florentiæ in suis laribus

Qua Mare, qua Terræ, qua Sydus currit vtrumq;.

Petron.

Cœptum igitur sequor, ac de te Corneli Tacite *scire aueo, (qui dum mihi nuperum in te Principum, reuerentia, & obsequio inflatus incedis, superbo nimis, atq; ambitioso sermone veteres iactas, recentiores fastidis,) scire inquam de te aueo, ecquid tibi ad nominis pe-*

renni-

rennitatem conduxerit ſedula Taciti Imperatoris *affinis tui cura, qua in omnibus bibliothecis tua imago iuſſit collocari? Ne hilum quidem abſolutiſſima diligentia profecit. tot bellorum incendia, tot fluminum alluuiones, tot Cœli tempeſtates, tanta deniq; annorum vis, ac fuga temporum, gloriæ tuæ fulcrum, monumentumq; diruère; neq; fama hoc ſæculum contingeres, vultus, oriſq; delineamẽtis collapſis in puluerem, niſi hiſtoriæ, annaleſq; tui omnium manibus tererentur, tuiq; deſiderium, amoremq; excitarent, renouarent recordationem. Sed temporis hæc quoq; iniuria deſiderabantur, & præclariſſimam illam ingenij imaginem, vna cum corporis figura extinctam dolebant omnes; cum* Leone Decimo Pontifice Maximo *Imperante, velut ab Orco reuocatus, ſemimortuus, atq; vt dicunt Monogrammus, caput ex hypogæo in Germania primum extuliſti, ac pacatiori te orbi, & Sanctiori, Italiæ, Romæ reddidiſti; ibi tunc* Mediceus Heros, *te, non modo perhumaniter ſuſcepit, ſed ſquallorem tuum, ſed pedorem, quem ſitu contraxeras, patrij Cœli luce, ac ſpiritu animali detergi, atq; ad priſtinum te ſanguinem, ſuccumq; redire iuſſit.*

Taciti Imperatoris cura, de imagine Cornelij Taciti.

Inutilis prorſus ad famam illius producẽdam.

Quã ſcriptis conſequutus eſt

Eorumdẽ interitus.

Leon. Medic. X. P. Max.

Quo regnante Taciti monumenta reperta fuere.

Eiuſdem in Tacitũ officia, ac beneficia.

Ille primum typorum formas scriptionibus tuis impleuit, quæ tuum nomen immortalitate impleuere. Quod viuis deniq; , quod spiras, quod places illius est, atq; huic vni Æsculapio, Virbius Gallum debes. Satis ne, nisi ex mea oratione, ex horũ acclamationibus Corneli Tacite intelligis, tantis te Leoni Medici deuinctum esse beneficijs, quantis non solum mutua in illos eiusq; posteros humanitate rependere non possis, sed, nec quo vis ingrati animi vitio nedum ex aliorum, sed neq; ex tua memoria, te etiam nitente delere? En igitur in hodiernos Principes (quos inter Medicei florent, quosq; cum vniuersas cogitationes ad litteratos homines iuuandos contulerint, non aliud quam operas charitatis iure appelles) linguam exere, concide illos voluminibus, maledictis fige; numquam profecto efficies, vt ab hoc sanctissimo senatu, litteratorum Patroni, ac seruatores non habeantur. Illud autem ab omnibus paruo negocio, vt credatur impetrabis, maxima te pollere memoria, ac, quæ olim scripseris, optime retinere. Beneficia eò vsq; læta esse, dum videntur exsolui posse, vbi multum anteuenere, pro gratia odium reddi. Sed ne videar

Ann. lib. 4.

ex

ex iure te manu consertum vocare, hanc glebam *ingrati animi tui mitto, aliòq; orationis flecto habenas, &* Mediceæ gentis *ergà* Rem*pub. litterariam merita, iam non modio minutatim admetior, ne longius, quam pars sit res producatur, sed regula, lineaq; siue libella potius exigo. Quo in opere, alter ecce* Romanus Pontifex Clemens septimus, *se se mihi dat obuium, qui cum per manus traditam disciplinam à maioribus accèpisset vnicè plurimi pendendi litteras, atq; in litteratos munificum se, liberalemq; præbendi, alia etiam ratione illorum sibi amorem, beneuolentiamq; parauit. Non illum fugiebat, quam semper ab omnibus summis laudibus elati essent, qui bibliothecas construxissent, ac magnum numerum optimorum librorum, sub vnum tectum contulissent.* Osymanduam *igitur ægyptium (qui primus hominum genus adeò ingenti beneficio cumulauit) &* Samium Policratem, & Cyprium Nyceratem, & Pisistratum Atheniensem *imitatus, sed &* Pergami Reges, Attalum *atq;* Eumenem, & Romanos Imperatores Augustum, Tyberium, Traianum, Vespasianumq; *æmulatus,* Animorum *illam* Medicam officinam *in*

Clemens Med. vij. P. Max.

Diodo. Siculus lib. pr.

Bibliothecam in D. Laurentij primus cæpit.

D. Lau-

D. Laurentij *excitauit, cui postea* Cosmus Magnus *Hetruriæ Dux primus*, qui vnus meruit regnare rogatus, *supremam manum imposuit. ad quem omnes qui præstantissimorum authorum volumina penes se haberent, non solum tamquam ad illorum amatorem summum, sed tamquam ad æstimatorem, ac censorem optimum, remuneratoremq; munificentissimum, comportabant. Sed, nec* Francisci *Filij industriæ, offecit exactissima Patris in conquirendis libris diligentia, quo minus ille, eadem in re, magnam laudem consequeretur; sicuti, neq; huius, (in re scilicet, quæ ab hominum ingenijs, semper aliquid noui molientibus, pendet)* Magno Ferdinando *facultatem ademit pulcherrimam ex eodem musaceo Lauream demerendi.*

Quam Cosmus Magnus Dux 1. absoluit

Francisc. M. Dux. 2

Ferdinandus Mag. Dux 3.

Ceterum concessa me via in Maximum Principem laudes deriuare pudet, dum præclarissimi facinoris recordatio subit animum, quo ille longior, inuidiaq; maior, omnia non solum facta, sed cogitata hominum, qui aut litteras adamarunt, aut litterati fuerunt ipsi, longo prætergressus interuallo est. Auditione ille acceperat domestica, auitaq; in doctos viros liberalitatis exempla: non illud nesciebat,

dum

dum græcæ litteræ loquentur, mansurum auorum suorum nomen, qui primi illas in Italia peregrinas excepere. tenebat denique, nullum nostra aut Patrum memoria, doctrina, aut alia ingenij laude enituisse, quem non maiores sui adiuuassent opibus, subleuassent gratia, illustrassent authoritate. quapropter summopere sibi, neruisq; omnibus videbat esse laborandum, ne inglorius in tanta gloria, tenebricosus inter tot lumina videretur. Quid igitur? O præclarum diuini animi, atq; ad magna semper satagentis consilium ò laudatum ab omnibus, sed à nullo pressum ad vtramq; gloriam compendiosum iter. Vsu compererat Ferdinandus, P. C *Italicam linguam ijsdẽ penè finibus, quibus* Italia *ipsa, contineri; græcham nusquam vigere, sed in libris solum emortuam illius quamdam effigiem cerni, latinam verò, et si neruos sanguinemq; recipisse videatur, & latißime pateat, ab* Asia, Africaq; *arceri, vnamq; esse Arabicam cui oblatißimum Turcarum Imperium, omnes ferè regiones patet, Orbis terrarum. Arabicas igitur litterarum formas non in angulo, aut in Suburbano aliquo, sed in* Italia, *in* Europę *luce*, Romę, *confici iussit, quibus prælo subiectis*

Arabicis litteris di tauit orbẽ Sed, & litteras ipsas arabicas omni scientiarum gene re.

biectis, non solum imprimi curauit quicquid Philosophia *Mater scientiarum docet*, Ars Medica *promittit*, Mathematica *demonstrat* Rethorica *suadet*, Poetica *canit*, Historia *narrat, sed quæcunq; pertinent ad Præpotentis Dei cultum, quo non nudam inanemq; doctrinam, sed pietatem, ac religionem aßertum iret*.

Virg. in 6. æn.

Et dubitamus adhuc famam extendere factis?

Cosmus ij. Magn. Dux 4.

Sed ego iam Cosmum secundum *in limine video. bonum quidem factum; nam nullus me alius à Patris laudibus, quam Filij virtus reuocare poterat; qui paternis vestigijs insistens, immane, quantum ingenuas artes depereat, earumq; professores, qua muneribus, qua honoribus vbiq; extollat. hæ illi per aduersam valetudinem suppeditant quo animus ex langu ore reficiatur, ac membra conquiescãt, vt æq; Musis* Phębum, *atq; arti Medicæ præesse intelligatur; per secundam verò ita oblectant, nihil, vt ei sapiat, quod litterarum sales, leporesq; non condierint. nam mensa ipsa Doctorũ sermonibus, ac disputationibus producitur; & ocij lususq; horæ ijsdem magistris temperantur. Quinimo campestres exercitationes*

Eius in probas artes animi propensio.

tiones equorum, atq; armorum, quæ ab hoc litterarum vſu maxime abhorrere videntur, numquam Coſmus *inire ſolet, quin ſeria* Muſarum, *cum ludicris* Martis *admiſceantur. teſtes hic ſunt, mellitiſsimi* Andreæ Saluadorij *ſuauiſsima carmina, quibus ille,* Aſiam *modo* Africamq; *committit, modo* Parnaſſũ *ac* Pegaſi *Sirenes,* Pelagiq; *Nymphas in arenam inducit; ita ut, nihil iam ſit cur miremur,* Darium *Idraule cantante pugnaſſe. Quid, quod non niſi* Phæbo *præeunte verborum formulis, Gloriæ ſacris Regia Proles initiatur, vt prius ad litterarum cultum, quem vna cum pietate, & lacte ſuxerunt, quam ad* Hetruriȩ *Imperium natos ſe eſſe cognoſcant? Macte ingenua iſta diſciplina, ac liberali* Ferdinande Princeps; *etenim, ſi nihil tibi fratribuſq; tuis æq; conducit, atq; inflammari cupiditate gloriæ (quæ vna res eſt, ad Dei, hominumq; beneuolentiam comparandã aptiſsima) nullæ ad hanc vobis opes, nullæ auorum, atauorumq; imagines, munire viam facilius poſſunt, quam artes illæ, quibus informamini. illæ vobis liberalitatem, Magnificentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Fidem, cæteraſq; virtutes conciliabunt, qua-*

Eiuſdem nati in litteris educti.

rũ deniq; opera, post togatas, armatasq; laudes, ad optatißimos Gloriæ amplexus, ad suauia æternitatis perducemini. Sed numquid, & Augustarum Matris coniugisq; profusam in Doctos Magnificentiam, oratione complecti debeo, atq; illud ob oculos vestros ponere, iam non aurum, aut argentum, non stragulatas vestes, non artium molitiones,

Matris coniugisq; in litteratos, amor, ac liberalitas.

Quas, aut Parrasius protulit, aut Scopas,

Horatius ode octaua lib. 4.

Vbi lux aliqua litterarum affulserit, ab Heroinis longè clarißimis impendi, vt crescenti ingenio, aut nascenti laudi faueant, sed preciosiores lapides requiri, sed validiora congeri munera, quam aut igne confici, aut ferro diuidi, aut frangi marmore poßint. At ego singula hæc si persequi velim,

Ante diem clauso componet vesper Olympo,

Virg. æn. lib. pr.

Quã ad vmbilicum perducatur oratio. Quapropter, hinc etiam tuis me laudibus, sed, & alio quoq; nomine abstinebo, Laurenti Princeps, ne, si te eloquentiæ aßiduam nauare operam, in historias toto pectore incumbere, Euclidẽ de manu nũquã deponere dixero, altius Musæ supercilium sufferant, à te se se amari sentientes, cui iã Gradiuus hastam, enseq;

Laurentij fratris in eadem affectus idẽ

ful

fulmineum Caucasi rupibus asperat, atq; in Turcarum sanguinem, mucronem, aciemq; ardescere iubet.

Sed tempus est, Mediceorum Heroum *claudendi agmen non Principe, aut hastato aliquo, sed Triario locum implente;* Carolo *scilicet* Cardinali, *qui licet ex toto* Mediceorum *stemmate nullus adfuisset litteris, ad laudem, quam parit illarum amor capessendam, eaq; suffundendos reliquos omnes, sufficeret vnus. Hic litteras non solum diligit, sed tractat, non leui inquam manu, & per transennam, vt eas à limine tantum salutasse videatur, sed penitissima illa absolutissimaq; diligentia, qua laborum gradus quosdam fieri ab ingenuarum artiũ professoribus videmus, vt seuera lege mitigati, & veluti atroci stylo effossi, tenacius sapientiæ præceptis animi cõponantur; amœnioribus enim litteris, & quæ nuncupantur ab humanitate, quà ex Græcis, quà ex Latinis campis in horreum suum recõditis, sapientiæ arcanis operatus est, omnemq; sibi illam suppellectilem prospexit, quæ, vel animos moribus exornat, perturbationesq; in rationis vincula ducit, vel mentem ditat excellentissimarum rerum cognitione; ita ut, ni-*

Carolus Cardinalis.

Humanioribus litteris operatur.

Philosophiæ studet.

hil sit, vel in igne flammidum, vel in unda fluxum, vel in terra glebulentum, *nihil hoc ambitu Cæli contineatur, quod adeo sagaci indagatori naturæ, non pateat*. *Nunc autem humana farctus*, Æsaci *contrarium in more*, *diuinam sapientiam venatur; ac modo beatarum mentium præscrutatur naturam, qui* singulis hominibus in vita agenda testes, & custodes sint additæ, ac nemini conspicuæ, semper adsint, omnium non solum actorũ testes, sed cogitatorum; *qui reliquis in muneribus obeundis quibus in mundo præsunt, diuino semper prospectu fruantur; modo autem solium ipsum Dei, & quæ religiosius est cupere, quam capere, intelligere, quam loqui, penetrat prælucente fide, vt Aquilæ instar propriæ mentis aciem, ad verum Solem examinet*.

Sed, & Phisiologiæ.

Nec minus dat operam theologię.

Apulæius libr. de Deo Socratis.

Dixi quibus gressibus stadiũ eruditionis Carolus *emensus fuerit, vos autem* P. C. (*quod de* Herculis *magnitudine* Pythagoram *fecisse accepimus*) *humanitatem, liberalitatem, magnificentiam illius in doctos, huiusmodi vestigijs comprehendite*; Mars enim, *vt est in vetere prouerbio*, equum amat, *illudque in primis sedula mente versate, cum* Romam *Princeps Magnus cogitaret* (*vt sui, veluti*

Aul. Gellius lib. p. cap. p.

Altèr in doctores viros Męcènas.

gu-

gustum quemdam exhiberet Orbi terrarum) regioq; omnia sumptu paraßet, litteratorum cohortem munitißimam instruxit, qua præcipue fulctus, sanctioris religionis apicis, humanæ Prudentiæ compendij, rerum vniuersarũ arbitræ, censuram subiret, immo oculos mentemq; impleret, & conceptæ de se opinioni, responderet cumulatißimè. gnarus enim erat, & Aulam florentem, & suppellectilem sumptuosam, & equorum currumq; turmas, & pecuniarum aceruos, ad opulentiam suam, auitamq; amplitudinem spectare; non animi illa, non ingenij, non mentis, non sui ipsius esse ornamenta. quo igitur non fortunam vbiq; suam, ac dignitatem, quæ oculos perstringeret, sed se ipsum aliquando, animiq; præcipua bona cernerent homines, atq; his ad sui amorem allicerentur, hunc habuit litteratorum delectum, qui non solum illius aures, & lingua, & oculi vocarentur (vt viri illi sapientissimĩ quorum opera in publicis, priuatisq; rebus Persarum Reges vtebantur) sed penitissimam animi effigiem, sed ipsißimum, vt ita dicam, Carolum, *requirentibus redderent. Quas autem acclamationes, quæ nomina, hoc præcipue nomine à* Romanis Patribus

litteratorum habet delectum.

Apulæius libr. de mundo.

Maximo applausu Romæ excipitur.

tribus, *ab vniuersa Vrbe consequutus fuerit, vos dicite* Pierides;

Virgil. in Eccl.

Nam neq; Parnassi vobis iuga, nam neq; Pindi
Vlla morã fecere, neq; Aonia Aganippe,

Quin celsa Capitolia inuiseretis, pene ipsa quoq; nutantia dum Senatui, populoq; Romano *fausta omnia, feliciaq;* Carolo Principi *precantibus, annuerent, atq; insolito gaudio perfunderentur, cum tot iam sæculis oblitteratorum triumphorum spectarent imaginem, qua domestica* Mediceorum *virtus, publica Romanorum Gloria amiciebatur. Etenim, & splendide, & magnifice, & castè, integreq; multa, ab omnibus naturæ ductu fieri posse prædicabant, at nemini contigisse vmquam vt absq; labore, (quo cum vera gloria deliciatur) doctus euaderet, omninoq; prudentiæ maximum esse argumentum, ijs, teneram adhuc mentem, artibus occupasse, quæ voluptatem, cæterasq; animi pestes propulsarent, seramq; caniciem, prœmatura sapientia exciperent. Sed hæc, & id genus cætera, vos inquam dicite* Pierides, *quæ omnia, numeris omnibus carminibus absolutißimis immortalitati commendastis, me enim, reliqui.*

Quæ virtutẽ eius vndequaquè admiratur.

Eu-

Europę Reges, *ac* Dynastæ, *in primisq;* Italię *Principes expectant, iamdudum mihi infensi, quod eos tam diu siluerim, censum illorum agens qui in liberalia studia, studiososq; viros nomen suum professi fuere.*

Hos igitur quoque, sed oculorum ictu, lustremus, atq; auspicato ab illo ordiamur, Imperio qui imminet Alpibus, animũque æquat Olympo, Carolo, *inquam* Emanuele, *armata verè* Minerua, *qui vna eademq; dextera nouit, & sceptrum regere iuste, & hastam intorquere fortiter, & stylum ducere sapienter; quapropter non absq; Dei numine* Italiæ *limini præesse putandum sit, & dies noctesq; excubias agere, ne quis iterum Alcides deliciarum hortũ amœnissimum, ab omnibus semper votis omnibus expetitam Italiam, diripiat, atq; expilet.*

Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ Musis, Astreæ, Marti, ęque carus.

A quo non longè Raynutium Farnesium, Parmę, Placentięq; Ducē, *video, nihil aliud, animo magis volutantem, quam vt Belgiæ clades,* Magniq; Alexandri, sed Romani, sed Patris, *triumphos, monumento regali ipso situ Pyramidum altiore, atq; ære perenniore consequatur, quod nulla imbris edacitas, nulla Aquilonis impotentia diruere poßit, nulla*

Raynutius Farnesius, Parmę, ac Placētię Dux quartus.

anno-

annorũ, temporisq; vetustas amoliri. quod probè illi ad votum accidit, totius molis architectandæ cura, Famiano Stradæ *demandata, qui* Vitruuio *melius, mensuras, rationes, symmetriasq; calluit æterne exædificationis.*

Mag. Alexandri Patris res gestas, Famiano Stradæ cõmendat.

Æn Rainuti Farnesi, *felix, fortunatusq; sis. hoc demum est illud, pietatis in* Parentem, *omne nomen, atq; officiũ implere, ita abhorrere à consuetudine protrita, atq; vulgari, vt humanæ ille virtutis modũ, moremq; omnem supergreßus est. laborant alij Montium, Siluarumq;, immo Maris, Terræq; ruinis, ac populationibus, sepulchra construere, quibus Principum cadauera condiantur: non gemmis, non auro parcunt: quicquid carum, quicquid venustum, quicquid preciosum est, exauriunt, vt quam magnæ reliquiæ, quam colendæ lateant, indicent externa magnificẽtia, ac cultu; cum tamen frequenter accidat, vt longè ornatus ille, & pompa, superet extincti virtutem, ac meritum, nihilq; in sepulchro sit, præter diuitias admirandum. At verò, Romanæ illud virtutis exemplar, ille* Belgiæ *domitor* Alexander Farnesius, *iacet paruo in tẽplo, humili in scrobe, in humillimorũ Patrum gremio, vt sentiant omnes cũ eius*

Alexand. Farnesij sepulchrale elogiũ.

ani-

animus immortalis sit in beatorum cœtu rece ptus, rebus ab eo præclarissime gestis nullas sufficere moles, Dædalæa *quantumuis manu extructas, sed vigere illas, & perennes esse, in omnium cuiuscumq; ordinis hominum memoria, qua assiduè recoluntur; in doctorum linguis, quibus quotidie prædicantur, in* Famiani *voluminibus, apud quem paternæ gloriæ, virtutisq; depositum, in omnem æternitatem seruari, ac custodiri*, Raynutius *Filius mandauit. Sed quo me sui admiratione plenum*, Farnesia *virtus rapuit? Ignoscite*, P.C. *immo clarissimæ, diuinæq; virtuti, vos etiam, linguis, auribus, oculisq; fauete; nequit enim illa mentis acie percipi, quin sui amorem desideriumq; pariat.*

Sed ego iam ad rem nostram, atq; ad orbitam redeo; & Raynutij Farnesij *in viros, (vt ille ait) Pieria pellice saucios, affectum, beneuolentiamq; exprimo. qui, cum tantum è fontibus scientiarum hauserit, quantum ad mentem irrigandam satis, superq; sit, nihil vnquam habuit antiquius, quam ad illarum amorem homines excitare, atq; in liberali illo stadio dimicantes, inflammare honoribus, & non nisi cumulatissimè præmijs, laudibusq;* Raynutius Dux munificus in doctos.

 deco-

Parmę Academiā publicè litteras profitentium extruit.

decoratos, dimittere. Hinc, Bononiæ *studiorum Parenti, nihil, vt* Parma *in re litteraria concedret, doctos vbiq; viros regio sūptu conduxit, ac publicæ vtilitati in vnum coegit, quo non externas, & longinquas regiones* (Pythagoram, Platonemq; *imitati*) *conquirendæ sapientiæ gratia adirent, sed paruo labore, nullis expensis, in natali solo, sub Parentum oculis ingenui adolescentes possent, & politiorem litteraturam, & Philosophiæ præcepta, & diuinæ scientiæ misteria, & mathematicas demonstrationes ius deniq; vtrumq; perdiscere.*

Ferdinādus Gonzaga Mātuæ Dux.

Iam verò Ferdinandum Gonzagam *quibus Parnassi lauticijs, quibus laudibus excipiam ob maxima ab eo in nostrum ordinem officia, beneficiaq; collata? Quæ vmquam fuit, tanta eloquentiæ vis, vbertasq; ac silua dicendi, quæ impar oneri non deficeret? Hic ille est nempè Musarum, haud discreuerim, alumnus, an Parens, eloquentiæ specimen, an typus, cæterarum disciplinarum, sectator, an Præceptor; ita vt, vnus mihi videatur, quem cum meritò mirari debeant omnes, digne posit laudare nullus, nisi* Virgilius *operi admoueatur, aut ad proprias laudes stylum.*

Omni laude maior.

litteratorum choriphæus.

lum Ferdinandus *ipse conuertat*.

Nunc verò exclamare, illudq; è vobis me quærere liceat P. C *qui fiat, vt cum mihi per hosce Italicæ virtutis saltus amœnissimos gradienti, ea semper, in quæ oculos recens conijcio pulcherrima, ac perfectissima videantur, id quoq; vsu mihi accidat, si ad semel visa, ac laudata mentè reuertar? An putandum est, fieriq; potest, æquabili, vt omnia virtutis colore, specieq; illita depictaq; sint? atq; (vt ex eadem officina exiisse censcas) Italorum Principum in Musarum artes animos ad eamdem normã, vnaq; manu, atq; ascia politos, dolatosq; fuisse? An potius illud asseuerandum est, proq; verò habendum, quæ mihi parilitas, æqualitasq; virtutum videtur, esse imbecillitatis meæ argumentum, quam omnium Principum virtus, meritaq; extrema licet luce, occupant vniuersam? quamque ego omnem capere, animoq; complecti nullus possim? Hoc vt crederem* Magnanimorum æstensium *lux facit, quæ mihi, post tot, tantaq; Italicæ litteraturæ lumina, tùm, cum nihil amplius restare admirandum in hoc genere putabam, se se offert, qua Phari instar, longè lateq; fulgente, in portu naui-*

Principes æstenses optimè de litteris meriti.

gant, quicumq; ad illam in litterarum mari cursum dirigunt, atq; velificationem. Hypo liti *nempe* Cardinalis (*deuoti, immo vnice à Musis omnibus culti capitis*) *vetustißimus in doctrinas amor,* Medea *iubente (hoc est gentilitia, atq; innata, in ingeniorum merces e-* stensium *Principum animi propensione) in* Cęsarę Duce, *in* Alexandro Cardinali, *in* Alphonso Principe *recoquitur, atq; ita nouus illis* Ludouicus Areostus *aliquādo recudatur, vt in Cycnis enutriendis* Panarus Eridano *non cōcedit, ac cætera omnia vt adsunt in promptuq; sunt, quibus ille Olor suauißimus, ac candidißimus, pastus, altusq, fuit. Nunc verò, quicquid bonum, iocundumq; Musis allicere, siue elicere possunt, id Magni Principes præstāt ex animo, & quando liberalibus disciplinis limatis hominibus affluunt; cum philosophia viuunt, sunt eloquentiæ iocundi, dant Poeticæ aures, mathematicæ oculos, omnia deniq; studia, consuetudine quadam deuincta, obligataq; tenent.*

Cæsar Dux, Alexander Card. Alphonsus Princeps.

Sed bono iam omine deserturi Italiam, *Italicæ virtutis, prudentiæq; compendium* Franciscum Mariam Vrbini Ducem, *adeamus, de quo verè quis ambigere posset, maior ne*

Franc. Maria Feltriꝰ de Ruere, Vrbini Dux.

Prin-

Princeps, an litteratus existat, sceptro, an doctrina excellat. maiora P. C. *sed fidenter, quia vera, dixero. cæteros à Musis eductos & doctrinarum præceptis innutritos accepimus,* Franciscus *autem* Maria *hæreditario iure, pauit, aluitq; Musas, quæ* Parnasſię laurus *vmbram, cum* Robore Vmbra, *vltro libentes, meritissimo commutarunt.*

Musarum decus, ac tutamen.

Sed age iam tandem Italiam *mittamus, & pennis non ope* Dedalęa *ceratis, sed præstantioris artificis opera compactis, Hispanias petentes,* Philippum Secundum Austriacum *veneremur, cuius, vt Imperio subijciantur, passim alios Terrarum Orbes, natura Pares fœcundo sinu protuberat, qui lingua, moribus religione, cœli, marisq, tractu penè immenso dissiti, litteris ad humanitatem, atq; ad ueri Dei cultum reducuntur, & reliquo ingentis Monarchiæ corpori coalescunt. Hic igitur liberalibus disciplinis tantum defert, quantũ illis deferri debet, quæ, vt hominibus, non belluis imperet efficiunt, præstantiq; vt æq; victricia signa subactæ nationes expauescant, & leges iuraq; suscipiant, ac genium suspiciant potentissimi Regum.*

Philipp. Austriac.

Litterarũ ope nouũ orbem humanitate religione imbuit.

Quid, de contermina, consanguineaq; Gal

lia

Galliæ, Britanniæque laudes.

lia *dicam, aut paruo Maris fretu à* Gallijs *dirempta* Britannia*? Hæc ferè æqua Cæli temperie, rerum quas Terra hominum commodo parit, ferax, atq; ingeniorum est, quæ animo ipsi immortali, priusquam è corporis vinculis auolet, æternæ beatitatis gustum quemdam exhibere solent. Illa verò, multis iam sæculis studiorum Parens nuncupatur, & vel vna Parisiorum Lutetia consequitur, vt cum nulla vnquam natione litteræ æs alienum ingentius conflauerint. Sed ego dum* Galliç, Britanniçq; *laudibus immoror, quì Reges vtrosq; relinquo, quorum, id totum muneris est, vt perpetuo, & æquabili redditu fœcundissima* Galliç Britanniæq; *ingenia ditent Orbē, & studiorum existimationem augeāt, ac dignitatem? Fuit profectò ab ipsis ferè mūdi incunabulis, eo ingenio mens hominum prædicta, vt ad dominantium mores, vitia, seu virtutes, innato impulsu effingeretur; etenim nec* Romulo *regnante,* Romani rerum Domini gensq; illa togata, *mitiora vnquam studia legum, pietatis, religionis amplexa est, pellecta armorū gloria, neq; imperante* Numa *aliud potius habuit, quam, vt cum interesse rebus humanis cæleste numen videret, pie*

Immo earumdem Regum.

Mens hominū ad dominantium mores suapte non effingitur.

tate

tate imbueretur, atq; ad religiosi Regis exẽplum suos mores formaret. Quo luce clarius Galliæ Britanniæq; *Regum in doctos, doctrinasq; patrocinium, effulget; aruorum enim fœcunditas, aq; soli, ac solo, acceptum referri solet. Sed dum* Ludouicus *paternæ gloriæ succrescit, & in* Mineruæ *sinu Musis ministrantibus innutritur, atq; ad geminam Lauream capessendã viam auspicatur, adultas in re litteraria* Iacobi Regis *laudes, diligentius contemplemur; video enim quosdam ad eius nomen, oculos in me acrius coniecisse, quorum ego opinione, sat scio, inuidiam, ac calumniam subeo, qui illum laudare audeam, quo cum mihi turbæ, litesq; maximæ intercessere. Ast ego à magnis id viris accepi, Reipub.* literariæ *gratia simultates, inimicitiasq; esse deponendas, quas fateor, cum illo exercui, alia in arena, quam hac studiorum digladians: tunc me Regi diem dicere (summa tamen verecundia, & modestia) oportuit: nũc præsto esse, atq; eius laudibus omnibus neruis inseruire me decet; meus enim in Repub. qua de nunc agitur, paratissimus, animus cũ eo reducit, reconciliat, restituit in gratiam, iubetq; optimè de illa merito, esse amicum. Et quidẽ possem,*

Ex quo Regũ aduersus optima studia deducitur amor.

Ludouici Galliæ Regis educatio.

Iacobi Regis Britanniæ laus.

possem illi esse hoc nomine inimicus, cuius excultissimæ facundiæ monumentis, aures quotidie meæ, noua Regis ingenij admiratione celebrantur? qui illum cæteris litteratis immixtum (sed maiestate scientiaq; maiorem) vigilare, meditari, lucubrare mihi videre videor, nocturnisq; pallescere chartis? quod si aliquando Deus ille Optimus Maximus vniuersi conditor, aërem, quem perdita stultorũ hominum sapientia in nubem coegit, puriori lumine soluerit in pœnitentiæ lacrymas, vt serò licet, & postliminio, Serenissimus tandem Rex, cum Romana facundia, Romanam quoque religionem, veriorem scilicet, ac sanctionem ortodoxæ fidei cultum coniungat, nihil profecto restabit amplius, quo minus, non solum amœna hæc politioris litteraturæ studia, sed cæteræ omnes scientiæ, artesq; liberales vigeant, floreant, atq; Iacobo Patrono, & auspice, non semper præteritorum temporum recordatione, ac desiderio tabescant, sed discãt aliquando frui præsenti felicitate, & exacti temporis obliuisci.

ob facundiam.

Sed ex insularum maxima in continentem transmittamus, inuisuri

Arturum, pluuiasq; hyadas geminosq; Tryones.

vbi

vbi littera suo Cœlo, suo iam sydere armã-tur, atq; Hister Moldaq;, ripis gelu coniun-cta, glacieq; durata, ingentia tergo bella tra-sportant. Fulmina hic, quæ curat Ales, *ma-gnum* Imperij Romani *nomen, ac decus, & litteras, studiaq; tuetur, nondũ temporis illius oblita, cum deprompta ex ærario Romano fa-cundos, disertosq; Romuli nepotes, prœliantes spectabat. Sed iam* Matthię Imperatoris Ma-ximi *diligentia, consilio, solertia, hic est illius felicitatis cumulo factus accessus, vt candida vbiq; pace, ocioq; iocundissimo fruatur, ac se se interim colligat, dum* Ferdinandi Regis *nutu exciteiur, & semitam illam, tractumq; Cœli recurrat, quo* Carolo *olim* Austriaco Imperatore Termaximo *signis mouente, &* Luna, *quæ* Solem *æmulari conabatur, expal-luit, nouamq; passa est eclypsim, &* Mosa, *aut Romana signa venerari didicit, aut sanguine rebellantium, quam aqua turgidior, Mari pendere tributum.*

Matthiæ Imperatoris virtute studia in Germania florẽt

Ferdinandus Bohæmiæ, ac Pannoniæ Rex.

Interea pax arua colat.

Et rectam quam insti viam, Ferdinande Rex, *insiste, studiosos vbiq; viros, atq; inge-nio eleganti, non minus quam bellatores ma-nuq; promtos, colligendi; etenim, cum de nul-*

Studiosos viros doctosq; vbiq; conquirit.

lo vmquam Austriaco Rege, in tantam spem venerit Orbis terrarum, (cælitus enim in te vnum tot Regna, Principatus, Ditiones, quæ sparsa antea fuerunt incidère) rebus tuis amplissimis, fulcra vt quæras necessum est, doctos probè viros, & lingua, styloq; præstantes; etenim, si chartæ sileant, linguæ obmutescant, haud rectè factorum illam ab omnibus exoptatissimam mercedem tuleris, perpetuo vigere, ac volitare per ora virorun. nam veluti absq; igne, & aqua non bene superis, ita absq; eloquentiæ flumine, ac stili ardore, non bene nominis æternitati litatur.

Et iure nã magna ab eo facinora expectat orbis terrarum.

Virtutis merces, quę.

Quibus ęternitati bene litetur.

Excussi tandem Europam. P. C. *& in* Parnassi *celebritate, in oculis vestris, & auribus, quicquid in litteras, litteratosq; latebat, magnificum, liberale, splendidum, honorificum, explicaui; longo quidem sermone, sed, vt arbitror, non indiligenti. neq; verò, aut breuiori mea oratione, aut minori patientia vestra atq; humanitate, deleri maculæ poterant, quas, huius sæculi Principibus, triuenæficæ linguæ infixerant. atq; vtinam, nunc tandem desinant voces illæ, atq; obmutescant, quas passim nonnulli, ex recentioribus litteratis fundunt,* Augustum, Mœcænatemq; *in omni*

Nuperũ litteratorũ voces Priscos inuocatium

ni

ni sermone appellitantes; quorum si in tempora incidißent, qui nunc mihi graui supercilio incedunt, auro, ac laurea insignes, vix hominis, ne dum Poetę, *aut* Oratoris, *aut* Philosophi *nomen iactarent, in litterario populo proletarij, quinimo capite censi.* At ingenia sęculi sui, omnibus modis fouit Augustus. *Quis inficias hoc ire potest? Immo, cum hoc Principis dignitati, atq; humanitati tribui poßit, illud addant si sapiunt, non nisi ab intimo quodam dimanans in doctrinas, doctosq; sensu.* Recitantes, & benigne, & patienter audiuit, nec tantum carmina, & historias, sed, & orationes, & dialogos. *At verò illud callidè non reticeant.* Componi tamen aliquid de se, nisi, & seriò, & à Prę-stantissimis, offendebatur; admonebatque Prętores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri. *En litteratorum fundorum calamitates, Augustissimi Principis factum, longe prudentissimum, quo cum propriæ gloriæ, tum dedecori vestro cauit; quod si degere* Romæ *ea tempestate vobis contigisset, qua sic sanxit* Augustus, *vbi nomina, insignia, partiq; dicendo Torques existerent, quibus vos huius æui Principes auxerunt,*

Suet. in oct. c. 89.

Idem ibidem.

Hac cautione Augusti.

comprimendæ.

I 2 con-

consilio prudenti, ac callido, si munere silentium vobis indicere, at patientia incredibili, si dicacitati vestræ, mutuam gratiam referre voluerunt. Sed ne susceptæ causæ oblitus, extra scenam saltare videar, cum de Mediceis Principibus, cæterisq; Europę dixerim, atq; illorum in ingenia lautioribus litteris exculta, amorem beneuolentiam, liberalitatem, magnificentiam retulerim (quæ orationis meæ pars altera erat) nunc de aulico hoc, meo more, sine fuco, ac fallacijs dicam. Sed hoc, vt præstem, titulum huiusce quæstionis vniuersæ repetamus. Qui sit factum ambigitur, vt in tanta litterarum frequentia, ac celebritate, tam serò, huius litterati Aulici nomen, ad nos peruaserit, cum iamdudum, haud vulgaris omnino litteraturæ, libros vulgauerit; Per illiberalitatem Principum id non stetisse, satis, ni fallor, ex mea adhuc oratione patet; at verò inclementia illorum id accidisse, ne te, credo Tacite, adduci posse, vt suspicere. Quid igitur, (cum S. C. habeamus, non posse absq; Principum suffragio in senatum recipi quemquam, aut sententiæ dicendæ ius adipisci) huic reo obstitit, quo minus illius ad nos nomen aut rumor, aut fama aliqua, aut

Titulus quæstionis huius.

Prin-

Principum *quibus paret, siue humanitas, siue officium referrent? Sed, ne perplesse agam, ne apposite cuncta, locoq; non dicam, recita* Feste Pomponi *si placet S. illud* C. Virgilianum; *magnam enim huic quaestioni lucem attuleris.*

Substitit hic Coquæus. Festus *autem cedrato quodam volumine, atq; ingenti explicato, paginis aliquot lustratis* S. C. *in hæc verba recitauit.*

Festus Pōpeus.

S.C. Virgilianum. recitat.

Consulatu M. Tullij, M. Filij Ciceronis, tertio, Pub Virgilij Maronis primo. die 7. Kal, Octobris, cum in curiam Parnasi ordo amplissimus consedisset, quod verba fecisset Pub. Virg. Consul, de ea re quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Non debere quemquam in hunc ordinem recipi, nisi palam, quæcumq; sint illę, liberales artes, aut studia professus fuerit, nisiq; Principū, Regum, Imperatorum, Monarcharum, aut quorumuis iurisdictionem in illo habentiū uenia, id fiat, atq; eorumdem testimonio, O. F. id esse comperiatur. scribendo affuere Q. Ennius, M. Accius Plautus, Titus Lucretius Carus, M. Terrentius Varro.

Lecto S. C. resedit Festus, *volumenq; in ni-*

nidum suum composuit. Coquæus *autem, sic porro perrexit.*

Coquæus coeptum peragit.

Audiuistis P. C. S. C. *caueri*, ne quis in hunc ordinem recipiatur, *nisi palam, quæcumq; sint illæ liberales artes, aut studia professus fuerit, nisiq; Principum venia id fiat, & eorumdem testimonio,* O. F. *esse comperiatur. atqui consules illi omni virtutum genere cumulatissimi grauissimiq; viri, reliquiq; ornatissimi Senatores, non solum præsentibus rebus, (quæq; tunc temporis hunc ordinem vniuersum sollicitabant,* Augusti *lamentationibus, qui dignitatem suam minui querebatur, scriptorum numero, ac tenuitate) consuli voluerunt; sed illis etiam, quæ in posterũ, & longa sæculorum conuersione, accidere poterant. Sapienter enim omnino prauidebant, futurum aliquando, vt puderet nonnullos, & Philosophos, & Oratores, & Poetas, & Historicos appellari, omnes tamen machinas adhiberent, Senatorio iuri adipiscendo. Quod profectò, an vsu in hac causa eueniat, quæso diligenter attendite. His dictis ad me conuersus, per tuam fidem, inquit, cum bonis authoribus contrectandis manus inauguratas habeas, atq; ad liberalia studia artesq; politiores*

Ac quęstionem S.C. explicat.

Senatorũ qui S.C. fecerant prudẽtia.

Sed & prouidentia.

Coquæus ad Aulicũ orationẽ conuertit

res

res, aditus tibi pateat, ecquam illorum (bone vir) præcipuè adamas, quam colis, quam in sinu, oculisq; gestas, quam profiteris?

Quibus ego num responderem diu hæsitaui, illud satius ducens, verecundo silentio iratos Senatores permulcere, quam petulanti responsione magis irritare. Itaq; hoc tantum contractis humeris, flexoq; leuiter capite demissa voce, ac titubantibus verbis sum effatus. funerata est, pars illa corporis, qua Aulici *omnes* Achilles *sunt. Sed semel, atq; iterum, bona fide respondere iussus, nullam me profiteri, constanter affirmaui, sed Aulicis rebus intentum, in id vnum neruos omnes contendere, vt satis Principibus meis facerem.*

Qui de responso hæsitat.

Ac tandẽ non profiteri se litteras palam fatetur.

Nunquam clariori exemplo didici, veritatem odium parere, nec tutum illam vbiq; fateri; nam vix extrema verba protuleram, cum vniuersus ferè Senatus nomen abominari, & diris imprecationibusq; meum deuouere caput, neq; his contenti, cruces aliquot, tormentaq; minitari: ex editissima alij Parnassi crepidine dari me præcipitem iubere, aut in neruum, perpetuamq; captiuitatem custodiri. Ego, licet inter saxum sacrumque, quod dicitur, positus mihi viderer, ac Furcarum

Veritatẽ vbiq; fateri haud tũtum.

Senatores aulicũ malis ominibus verbisq; prosequũtur.

non

non absimilem in me sæuitiam, meamq; apud illos captiuitatem tristi memoria versarem; vultu tamen composito, atq; vt ingenuum decet, mori quoq; sine timore paratus, Phœbum *subinde furtiuis oculis, atq; ad ostentationem conniuentibus, respiciebam atq; (vt turbidi iratiq; maris sedatio in Cæli serenitate præsagitur) in eius vultu, non penitùs implacabili efferuescere Senatorum minas conspiciebã; cũ per* Coquæum, *vt cætera audirent, paxq; esset rebus, terq; quaterq; frustra repetito,* Phœbus *inhiberi verba, silentiumq; fieri iussit. Silẽtio igitur vix impetrato, sic* Coquæus *cœptum prosequutus est.*

Qui in Apollinis vultu recreatur.

Progressus orationis Coquæi.

Perplacuit mihi profectò, vester hic dolor, iraq; P. C.; *at verò ea esse nolim, quæ finiri nequeant, nisi huius* Aulici *sanguine extinguantur. Quod priusquam vos rogem, numquid ansa aliqua, aut salebra relicta est, in quam Principum dignitas impĩgere possit illorum etiam opinione, qui Principibus infensissimi sunt? Nonne auribus id accepistis, litteras hunc non profiteri? Quæ igitur Principum illiberalitas, aut inhumanitas potius, tanto hunc tempore detinuit, qui neq; consessum hunc sanctissimum exorruit, quo mi-*

Vindicat à calumnia principes.

Acreijcit in aulicũ.

minus se litteris non dare operam confiteretur? An verò Principes illius officium anteuertere debebant, & fortè inuiti, parui certè facientis, nomen, muneribus, laudibus, alijsq; argumentis ad hunc ordinem extollere? Atqui solemne illud Principibus Mediceis est, non solum existimationis, & dignitatis, sed domesticorum etiam voluntatis, atq; animi propensionum, religiose rationem habere; neq; hunc poterant, qui aliud agens, dissimulanter verecundeq; litteras tractat, authoramento aliquo litterario cohonestare, quin totam illam rationem euerterent, atq; labefactarent domesticæ disciplinæ. Hic igitur Philippus Comminæus *Consul vigilantissimus, & queri, & quærere desinat, quid tandem huius* Aulici *nomini obstiterit, in perpetuitate adipiscenda. Cæteri verò, Principes insectari dediscant; seu potius illud etiã, atq; etiam docere conentur, litterarum humaniorum, ac scientiarum pulchritudinem perfunctoriam operam dedignari, qua eas venerari, hic Aulicus non iuit inficias; semper enim ad hos scopulos,* litteratorum aulicorum *cymba allidetur, quos arctius inter se, quam* Cyram, Anticyramq; *obligatos esse videmus;*

Mediceorum Principũ prudentia.

Perfũctoriam operam dedignantur litteræ.

demus; etenim, palàm litterarum professionẽ fateri erubescunt Aulici, Principes *verò, nisi palàm, serio profiteantur, litteratorum præmijs, muneribus, honoribus, illos cohonestare nequeunt, quibus omnibus argumentis, seu potius indicijs,* Aulicorum *virtus ad* Parnassi *lucem, euehitur. Quapropter, Aulicorum cursum proprio illorum ingenio retardari non à Principibus ipsis, neminem hallucinari posse crediderim, qui non oscitanter, atq; aliud agens, orationi meæ aures adhibuerit. In qua ego oratione* P. C. *quæ mihi è Repub. esse videbantur, coniuncta cum hodiernorum Principum dignitate, dixi omni libertate, ac fide, veritati magis quam eloquentiæ inseruiens. Vestrum modo est decernere (penes quos rerum summam* Numen *hoc nostrũ esse voluit)* quæ optima vobis Reiq; pub. sint, *atq; Illud potissimum in vtramq; partem prudenti consilio versare, an reus hic mulcta dignus esse videatur, aut potius, (quod ego magis sentio, quodq; vos, dignitatemq; vestram, atq; humanitatem magis decet) absoluatur hic* Aulicus, *&* S. *illi* C. *derogetur, atq; alia decernantur, quæ non solum sustinere, sed etiam augere huius loci amplitudinem,*

Aulici litterarum professionem erubescunt.

Aulicorũ cursum quid remoretur.

Liuius lib. 7.

Coquæi de Aulico rogatio.

nem, dignitatem, atq; existimationem possint.

Hic tandem dicendi finem Coquęus *fecit, vario senatorum assensu; aliqui enim, quos de sua authoritate illius oratio non deiècerat, mei miserescere; qui verò illius oratione commoti fuerant, vultu nutibusq; ignominiam, mortemq; mihi intentare. cum* Phœbus *iterum, si qui essent, qui aliquid, quod è Repub. eßet, dicere vellent, se potestatem facere, dixit. omnes tunc consurgentes acclamarũt.* Tuere nos, tuere Rempub. phœbe. bene tibi committimus, quos antea seruasti; tu Phœbus, tu Apollo, tu Cyntius, tu Delphicus, tu Phytius, tu Trymbręus, tu Delius, tu herbis, verbisq; potens, tu omnia. felix agas, feliciter imperes. *At* Phœbus. O. F. *iudicare se retulit,* si Patres, si conscripti, quibusq; in Senatu sententiam dicere licet, referrent, de summa Repub. quid fieri placeret. *Quapropter, dic tu* Crispe Salusti *inquit. Qui vbi surrexit*

senatores varie affecti Oratione Coquæi.

Vopiscus in Probo.

Apollini se ipsos commendant.

Festus lib 15. Cic. in Cat. & ep 3. lib. 7. ad Att.

Qui Salustiũ referre iubet.

Pauca, inquit, vt pro re tanta, quæ agitur dicam, Coquęi *oratio facit* P.C. *nam, & S.C. recitari iußit, quo vniuersæ huius quæstio*

Salustij oratio.

nis decisio cōtinetur, & nihil ille dicendo ammisit, quod huiusmodi causa postularet; ita vt, illud affirmare ausim, nullum dubitandi, aut quærendi locum superesse, si recte S. C. *teneamus explicatum oratione* Coquȩi. *Ceterum illud, quantum diuinare possum, vos angit, huius* Aulici *libera nimis confessio, quæ vestras profecto mentes altius occupauit, & cōpendio vexat, si censetis studia, litterasq; quæ, ab humanitate nuncupantur, ab vno, vt altero* Aulico *sanctè minus, religioseq; cultas, vilescere, quas vtinam numquam id genus homines attigissent. melius rebus nostris consultum esset. (hæc vt de fortissimo hoc meo collega, aut de* Balthassarre Castilionio *non dicā, qui magno sunt huic ordini ornamento, veritatis idem, ac reipub. Amor impellit, qui iubet cæteros me omnes amplecti, alium excipere neminem) Quamobrem, cum in hac quæstione litterarum bono suscepta, omnes litterati Aulici contineantur.* Placet mihi in eum seuerè animaduerti, *at capite, vt plectatur, non placet; absit enim à dignitate nostra, vt sanguine tam vili, vel hic locus sanctissimus, vel lictorum nostrorum manus contaminentur. Quid igitur? aperte dixero,* ab odio, amicitia,

Quid valde Senatores commouerit.

citia, ira, atq; misericordia vacuus, prout illos esse decet, qui de rebus dubijs consultant. *Si quod hoc de Aulico decretum fuerit, in cæterorum Aulicorũ caput redire debet,* quod bonum faustum, fęlix, fortunatum, ac salutare sit, velitis, iubeatis P. C. vt huic Aulico Castalio latice igniq; poetico interdicatur. Cic. pro domo sua Salust. de Aulico sẽtentia.

Hæc cum Crispus *retulisset, rogatus sententiam* M. Cato, *surrexit, & misereri se, immo dolere præfatus est,* Principum *sortem, qui eò iam deuenère, vt velint, nolint, litteratos foueant, veluti lege quadam fatali, aut necessitate coacti; qui tamen si saperent nugis, quisquilijsq; litteratorum raro aures, numquam præberent animum, neq; eos paterentur in illorum aulis versari; genus hominum leue, incostans, abstractum, atq; ad res gerẽdas inualidum, semper quærulum, semper auidum, nulliusq; consilij, quamuis optimi capax, quod non ipsi repererint. Nondum, aiebat, huius notæ studiosi Vrbẽ inuaserant, neq; iuuenes vmbraticorum doctorum præceptis, & mercennaria loquacitate detinebatur, cũ nostri homines satis sibi doctrinæ comparauisse visi sunt, si diuini, humaniq; iuris scientiam calluissent, quarũ primam Deorum im*- Catonis sententia. Litteratis aduersa.

mor-

mortalium cultu, ac religione finiebant, mutuis alteram inter homines officijs. quæ omnia, natura ipsa demonstrante, patebant. his artibus præmuniti, non solum in re militari multum valuere, sed, & prudentia, & probitate, & fide, & modestia, & grauitate, atq; animi constantia, omnes gentes, nationesq; superarunt. At verò; postea quam scituli isti in Vrbem è Grecia, cum Histrionibus, & Coquis commigrarunt, tunc temporis, omnia peruerti cœpta. nusquam fides, nusquam sanctitas, nusquam sincerum aliquid, at, nec natura ipsa, in rebus inueniebatur. omnia cauillationibus, fucis, pigmentisq; infecta repente fuere; nam, & Poetæ animos carminibus effœminarunt, & inflarunt Historici, & deceperunt Philosophi, & deluserunt Mathematici, & fregerunt Oratores.

Quæ litteræ incommoda attulerint.

Ad illa remedium.

Vnum tot malis natura ipsa remedium suppeditarat, scientiarum difficultatem, & librorum, quibus illæ continebantur, multitudinem, vix Regio censu parabilem. quæ tamen omnia, Typographia inuenta, cum difficultatem, tum laudem ammisère; passim enim, velut Alpibus aceto, igneq; dirutis, barbari in litterarium regnum inuadunt,

&

& qua olim audacia Typographiam, nunc quantum vis magnarum artium compendiariam inueniunt, qua, & ingenia ad magna surgentia, pessima imitatione delentur, & lectorum oculi, atq; aures, vsq; ad lassitudinem, ac fastidium satiantur. Hæc omnia, vt viris saltem Principibus vitare liceat, qui cæteris præsunt, quique in illos bona, aut mala deriuant, quæ tandem ad nostrum hoc Regnum pertingunt, Phębe Pater, te precor, quęsoq; vti calamitates hasce, intemperiasq; ingeniorum, prohibessis, defendas, auerruncesq;. *Quod vt facilius eueniat, ad auferendam gloriæ illecebram, qua se duci, litterati* Aulici *mentiuntur, prudentissimi Consulis rogationem laudo, cui tamen addo.* Ne illam antiquãdo auspicia valeant; ne quis obnuntiet, ne concilio, aut comitijs, neue legi intercedere liceat. vt omnibus festis diebus legem ferre liceat. ne quis ad Senatum referat, ne quis decernat, ne quis disputet, ne quis loquatur, ne peditus eat, ne scribendo adsit.

Hominū audacia, e medio sublatum.

Cato. de re rusti cap. 14.

Catonis ad Salustij rogationem additamentum.

Ad Gaium *deinde* Cęsarem *ventum, qui vt erat duplici* Laurea, *atquè* Imperatorio Paludamento *insignis, placidè simul, seuereq;,*

rèq; , sic dicere est aggressus.

C Cæsaris oratio.

Meus in hanc Rempub. vniuersam amor dignitasq; vestra P.C. sollicitum me magnopere habent, quod videam odijs penitus, atq; ambitione certari, nullumq; lenitati, qua semper opes vestræ maxime floruerunt, locum esse relictum; exactis enim temporibus, magis, quod vobis dignum foret, quam quod in reos iure fieri posset *magna cum vestra laude quærebatis; ita vt, & repetundarum quondam accusatum* Publium Virgilium Maronem *impunitum, & maiestatis postulatum* Statium Papinium *leui mulcta correptum, dimiseritis, quibus magnis Senatoribus, neq;* Homeri *summa apud* Phœbum *gratia, atq; authoritas (qui ab altero expilatus in* Æneide, *lacessitus ab altero in* Achilleide *querebatur) neq; maxima animi indignatio, aut* Demosthenis *eloquentia, qui causam illam susceperat, obfuere, quo minus misericordiæ, clementiæq; vestræ fructum non perciperent, legis etiam, & S.C. abrogatione. Quæ si acta laude dignissima sunt, vno mansuetudinis, ac lenitatis nomine, non video, cur laudis huius, quæ iam temporis diuturnitate in animis vestris obsoleuit, aliqui velut surculi, in veterem*

Saluſt. in Cat.

Virgil. ac Statius repetundar. ac maiestatis olim postulati

Lenitate Senatorũ absoluti.

trun

truncum non inserantur. atq;, vt quod sentio dicã, ne Augusto *quidem meo parcam.*S. *illud* C. *à* Festo *recitatum, nunquam adduci potui, vt laudarem. Immo equidem, magnopere miror, rationem ipsam temporum, morumq; hominum mutationem, non omnes docere, in hac litteratorum penuria, qua hodie laborant* Principum Aulæ, *non esse opus, seuera illa cautione, qua tempora* Augusti *indigebant, ob infinitam litteratorum cuiusq; generis copiam, quæ vsq; ad famæ, Gloriæq; illius periculum,* & Aulam, & Vrbem *repleuerat. Cuius rei testes longè excitandi non sunt, cum tot annorum curriculo, vix vnum, & alterum ex* Aula *inter Senatores cooptatum fuisse, vnusquisq; vestrum confiteatur. Quapropter de* S.C. *seueritate aliquid remittendum censeo, quo in posterum,* & Principes *obtrectatorum linguæ non pateant, & litterati ipsi* Principum *arbitrio non sint obnoxij. decerno igitur partem illam.* Non debere quemquam in hunc ordinem recipi, nisi Principum, Regum, Imperatorum, Monarcharũ, aut quorũ vis in illo iurisdictionem habentium venia id fiat, atq; eorumdem testimonio O. F. comperiatur; *penitus è* S.C.

S. C. Virgilianum Cæsari nõ arridet.

Rogatio eiusdẽ.

expungendam, liberumq; Aulicis *relinquendum iter, ad dignitatem, ad Gloriam, ne aut à* Principibus *retardentur, aut propriam ignauiam, ac culpam, ficta* Principum *inurbanitate, atq; auaritia prætexant. alteram verò* S. C. *partem, manere placet.* nisi palam, quęcunq; sint illæ liberales artes, aut studia professus fuerit. *Quinimo hunc quoq; reum referre iubeo, quæ eum causæ impulerint, vt adeo constanti, atq; audaci confessione fateretur, se litteras non profiteri.*

Senatus Cæsaris rogatione varie cõmouetur.

Dixerat Cæsar. *cum commoueri Senatus, & inter diuersas opiniones fluctuare. Nam Senatorum pars,* Cęsarem suam sententiam diuidere *iubebat, magna voce* Catone *exclamante.* ego nullo modo abrogandam legem censeo. *Alij* Amplius *postulabant. maior tamen pars suffragijs rem decerni volebat, quæ adeo inualuerat, vt iam* Tabellæ A. & V. R. *signatæ volarent,* cistaq; *non absq; magna confusione, circumferretur. cũ repente* Consules *clamant, satius esse,* discessionem in sententias fieri. *At verò* Phœbus *turbarum hostis infensissimus, decreuit,* tumultum esse, *nec placere Senatores, aut Consules decernere, sibi vni* Sagam esse sumen-

Cicer. ep. fam. l. pr. ep. 2.

Cicer. in Verrem. & Asconius in Miloni.

Cicer. ad act. lib. pr. ep. 14.

Plin. lib. 2. ep. 11.

Liuius l. 34.

Cic. phil. 6.

mendam. *Itaq; dic tu primum, inquit,* Aulice, *si quæ habes, quæ te, causamq; tuam sustentare possint, ac studijs litterarum, quæ tu perditum iuisti, dignitatẽ reddere, atq; existimationem; cætera mox, aut ex vestra, aut ex mea sententia, ad publicam tamen laudẽ, atq; vtilitatem ipse decernam.*

Phœbus Aulicum causam propriam agere mãdat.

Hic me fateor velut à mortuis redijsse; nã nihil mihi de Apolline *promittere non poteram, tam ridenti, tam hilari vultu, tam leni, me intuebatur. Attamen illo maxime angebar, in adeo insolita mihi ratione dicendi. Sciebam multos odio plusquam Vatiniano me odisse, quos, si incompta, atq; ineleganti oratione rem meam egissem, ad iram magis concitassem, si ornato, atq; omnibus rebus instructo genere dicendi vsus eßem, ad inuidiam; quæ tela, misericordiæ egentissimus, non corpore, vt aiut, declinare, sed quantum in me erat, pennis non homini datis fugere debebã. petulans prӕterea, & audax illa confessio,* nõ profiteri me litteras, *non parum me commouebat, quam, nisi fuco aliquo adumbraßem, in summo versari periculo res meas intelligebã. itaq; cõsilij inops, animi lapsus, illud pauebam, hoc formidabã. At tandem genio magis*

Qui ob id maxime lætatur.

Sed animo ob alia fluctuat.

Idem genio Aulæ, artibusq; confisus.

Aulæ, *quam* Numinis *præsentiæ, aut proprio ingenio confisus, aulicarum artium maximam, ac potentissimam è cordis penetralibus ad linguam reuocaui, vultuq; timidissimo, sed fidentibus verbis, sic dicere cœpi.*

Aulici oratio.

Quæ singula hominibus ad dicendum accedentibus, timorem incutere solent, ea mihi omnia animos faciunt, Clarissime numinum, sapientissimi Patres; *nam quos, aut loci amplitudo, aut auditorum maiestas, aut materiæ grauitas, ac difficultas, subito commouere solet, insolita illa perturbatione demonstrãt, aliquid facultatis, & virium ad causam peragendam attulisse, quæ illis earum rerum aspectu, repente exciderit. Mihi autem longè aliter accidit; nam, neq; vmquam suspicatus sum, ad dicendum facultatem in me esse aliquã, quam huc conferrem, neq; si aliquã habuissem, nunc teneo, totus mente, memoria, lingua, oculis, auribus, uiribus deniq; cũctis, in huius veneratione* Numinis, *in obsequio vestri occupatus. Quinimo, licet à meo me sensu, hæc omnia non auocassent, magnopere laborandũ mihi pro mea defensione non censèrem, qui apud illos dicere debeam, qui, cum æquitatem semper adamauerint, miserorum afflictas fortunas, atq; iacentes erigere, quam concul-*

care, aut proterere maluerunt. Dicam igitur P. C *sed ita dicam, vt iussus dicere videar, defensionemq; omnem, non in mea oratione, sed in humanitate vestra collocasse: Atq; (vt hinc etiam meus in vos cultus eniteat) quod magnos uos Oratores, causarumq; Reges facere animaduerti, illud præstabo, vt clarè, distinctè, aperte ea oratione complectar, quæ periculis vsq; ad inuidiam maximis, me obiècerunt. Arguor primum inertiæ in perquirendis honoribus, quos, licet qui consequerer dignus ego non essem, litteræ ipsæ optimo iure merebantur. hoc* P. C *tantum abest, vt inficiari velim, vt gloriæ potius mihi ducam huiusce criminis culpam, illud à sapientissimis monumentis vestris edoctus, nitère ex se ipsa virtutem, solamq; sibi decus, ac præcium esse. non vulgi laudibus, non Regum diuitijs muneribusq; illius pulchritudinem augeri. hoc ego si peccaui, scio quos Duces, authores Principesq; peccandi habeam, quorum societate, non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio; itaq; hunc mihi errorē, quo delector, nolo extorqueri dum vixero. At quamdam potius admirationem ab animo meo expelli omnino vellem, qua me maxima,*

Crimina eidem obiecta.

Et primū inertiæ in perquirēdis honoribus.

Quod vltro profitetur quia

virtus ex se ipsa nitet.

pru-

prudentißimi Patres affecère, qui omnes ad eumdem ferè scopum collimarunt, cum Principes in cælum laudibus extollerent, qui munificos, qui liberales, qui magnificos in studiosos homines se præbuere; ita vt, vel fulcrum, vel ornamentum, vel præmium studiosorum laborum diuitias, ac munera esse, existimare videantur. hoc si ita se se habet, pace vestra liceat dixisse P. C. *primi omnium eloquentiam (quam doctorum hominum eruditißimis artibus statuistis contineri) cæteraq; ingenua studia perdidistis; paupertate, cuius magnum fuit semper ingenium, longè à Doctis exulare iussa. nam neq; qui carminibus summorum virorum laudes impleuere; nec qui pedestris orationis copiam, atq; apparatum, ad forensem vsum accomodarunt, aut philosophiæ stustio excelluerunt, aut fuerũt iurisprudentia insignes, ad hæc munera diuites accesserunt, ita vt pecuniæ illis, non solum ad necessarios vsus suppeditarent, sed etiam ad liberales. illud, seu magnum seu paruum, quod deerat, vt splendide, liberaliterq; viuere possent, Reges Maximos, florentesq; Respub. adire, illorumquè facta litteris commendare, adegit. quod profectò non præstitißent, si sua sorte conten-*

Musarũ affecla pauperies.

ti fuissent homines, pro ut ea tẽpestate fuere, qua Flumine, Cerereq; viuebatur. qua quidem tempestate multos extitisse viros fortuna, & virtute præstantes, crediderim; quos tamen vnus idemq; vitæ terminus, Gloriæq; mansit, quia, & Vate sacro, & Oratore facundo, & Historico eloquenti, ac diserto caruère; probis enim artibus nondum egentibus, frustra purpura aurumq; micabant, & virtus ipsa rudis, ac prope siluestris, ad æternitatem nominis, nondum sustulerat oculos, sibi ipsi plaudere, atq; in sinu tantum gaudere edocta; quibus verò Musæ cordi fuerant, in id vnum præclarissimos animi conatus contulerant, vt Deorum prouidentiam in rerum humanarũ procuratione suspicerent, illamq; quoquo modo laudibus exornarent, à qua vtilitates maximas in se deriuare sentiebant. mox verò egestate graßante, imploratæ diuitiæ cum ingenuis artibus iniere fœdus, vt mutuis inter se officijs fouerentur, Gloriæ, atq; vtilitatis. quod tamen diu sacrosanctum, religiosumq; non mansit litteratorum perfidia, qui vbi inopiam liberalitate Principum *solum vertere coegerunt, vt* Marti *euocati milites, rudearij gladiatores* Herculi, *ocio stylum*

Litterati opibus au ctimissionẽ à Principibus petunt.

ſtylum tabulaſq; ſuſpendere, vt milites, non plura modo ſtipendia emeriti, ſed euocati, *ſeceſſus cupiditatem vulgiq; faſtidium cauſſantes; ita vt, & Principes, & litterati homines, non abſq; magna nominis opumq; iactura, ſero tandem perceperint,* bonę mentis ſororem eſſe paupertatem, amoremq; ipſum ingenij, diuitem feciſſe neminem. *Rupto igitur fœdere cum ad inopiam ambo rediiſſent, hi gloriæ, illi diuitiarum, & purius renidere aurum è regijs cæpit oculis litteratorum, & clarius ſtudia litterarum Principibus è Muſæo fulgère; qui tamen vſu edocti compendioſa, ac celeri liberalitate ſaginari muſarum mancipia, atq; arduæ virtutis viã deſerere, nec Parnaſſum amplius reſpicere, lentis ea muneribus macerare ſatius duxerunt, quemadmodum Accipitribus fieri ſolet, qui vbi ſæpius nimia pinguedine luxuriantes deſeruere officium, inedia, ac pabuli ſubductione, reuocantur. Quot autem hinc bona, & ad Principes, & ad ſtudioſos viros dimanauerint, ſuperſedeo dicere* P.C. *nam nemo non neſcit, & Latij, & Græciæ Poetarum Principes,* Homerum Virgiliumq; *(vt de cætero litteratorum genere ſileam) rebus domeſticis,*

Qui callide illos in poſterum lentis muneribus macerant.

Comuni bono.

ſeu

seu inclinatis, seu accisis virtutes, meritaq; Principum venari cæpisse, ac celebrare carminibus eorum laudes. illatæ Virgilio *à veteranis militibus calamitates, Deus* Augustus, *vt pronũciaretur, purpureoq; ore vt biberet nectar effecere, viamq; aperuerunt* Virgilio *qua excidio* Troiæ, *ac laboribus, quos Æneas terra mariq; exantlarat, coactis in numerum, familiaria resarciret, atq; ocio proprio* Augustiq; *laudibus consuleret.* Homerum *verò nonne accepimus eò paupertatis deuenisse, vt ad incitas fortunæ redactus meritorie conduceretur, ac publice canendo Græciæ ciuitatibus nauaret operam? Sic ille* Pelidis *iram dictauit, & speciosa miracula commentus est,*

Antiphatem Scillamq; & cum Cyclope Charybdim. Hor. in Poetica.

Quæ postea terrarum Orbis vniuersus veluti exemplar, atq; imaginem perfectißimi operis absolutißimam, suscepit. Quæ mihi omnia diligentius animo volutanti, cuiusdam historiæ in mentem venire solet, breuis quidem illius, sed elegantis, & ad rem, quam agimus satis accomodatæ, quam si annuitis in verba ipse, quam potero paucißima conferam.

Virgo Ciuis Corinthia, fuit, tam notæ pul Vitruuius lib. 4. c. 1.

Virgo Corinth. pulcherrima.

chritudinis, vt nedum homines, sed vicinarum quoque gentium fœminas ad sui spectaculum euocaret. hæc iã matura nuptijs, morbo implicita deceßit. At orbata mater non contenta vulgari more paßis crinibus funus prosequi, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, pocula, quibus filia litabat, in calathum composita pertulit ad monumentum, ac temere super Achanti radicem collocata, tegulam superiniecit, quò diutius sub Dio, Cæliq; iniurijs exposita, & filiæ deliciæ, & sui in illam amoris pignora, ac monumenta durarent. Et commodùm hyeme exacta, tepens iam ver adolescebat, cum radix Achanti, quæ calatho pressa recta non poterat, folia, & cauliculos secundum Calathi latera flexuosim profudit, qui ab angulis tegulæ ponderis neceßitate expreßi, lepide, ac concinne nimis flexuras in extremas partes volutarum facere sunt coacti. Ecce autem Callimachus, *qui infinitæ diligentiæ Architectus, non solum primus lapides perforauit, minutimq; pertudit, sed artem vndequaque subtilius expoliuit, illac præteriens, in Calathum oculos coniecit, & nascentium foliorum teneritatem; delectatusq; genere, & nouitate for-*

Nubilis moritur.

Matris in eamdem pietatis monumẽtum.

Pausaniæ in Att.

Callimachus Clarissim⁹ Architectus.

mæ

mæ, quam ponderis necessitas concinnauerat, ad id exemplar columnas extruxit, symmetriasq; constituit, quæ postea in maximo pretio habitæ Corinthiæ appellatæ fuere. Callimachum P. C. maximi hodie Principes prudentissimè imitantur, qui Achilli laudum suarū præconē inuidentes Homerum, atq; ad illius exemplar Poetas, studiosósque cæteros habere cupientes, iure admirantur artes onere paupertatis oppressas, quæ dum ferè enectæ, ne penitus moriantur, superum, hominumq; fidē implorant, canunt dulcius, orant facundius, ornatius, diligentius, uberius scribunt, docent, meditantur. Hic me scopulus P. C. (sensim enim ad accusationis meæ partem deuenimus alteram dissimulatæ professionis litterarum) hic, me inquam scopulus in placido scientiarum mari ferreus, ac ferè ineuitabilis, adègit, vt ingenium industriamq; meam actuario nauigio rerum aulicarum, quod proprio labore solertiaq; agitur, non liberalium studiorum naui onerariæ committerem, cuius spes omnis in ventis velisq; reposita est, in eo præsertim Pelago, in quo mihi, spirarent, an non auræ haud tentare licebat, quin statim innato, atq; execrabili litteratorum plausu exciperer pudendæ ege

Columnarum Corinthiarū formam inuenit.

Quē Principes in litteratorum delectu, ac cultu imitantur.

Crimē alterū aulico obiectum dissimulatæ professionis litterarum.

Aulica actuario nauigio.

Studia vero litterarum oneraria naui vehuntur

statis. *Quod si* Iouis quadrigis *hanc fugiunt omnes, quæ me ratio, aut diuina, humanaq; lex iubebat, vt viuens, vidensq; in malum cruciatum abirem, Musarumq; specum egestate verba præeunte, nouus* Curtius *implerē? Quin tu potius litteratorum* Numen Clarissime Apollo, *qui labentibus in mundum animis, atq; in corporis carcere se se includentibus, placido, secundoq; lumine, Imperia, Regna, diuitias, vel promittis, vel ostendis, quiq; lucidissimis telis sordidam, auaramq; Tellurē conficiens, aurum, argentum, quæq; illa gremio abdit preciosa cætera detegis, iube tandem sectatores tuos, vel cupiditas, vel inopia deserat, dummodo præsenti felicitate elati, vt olim non obmutescant, à quo primum fonte, omnes hæ turbæ manarunt, quæ illos in veram Paupertatem, Principes in fictam Auaritiam detrusère. Seu, quod factu facilius, atq; honorificentius studiosorum vniuersitati esset, secede aliquando à sordibus infimæ plebis, artesq; tuas, si recte ingenuæ appellantur, non nisi cum ingenuorum mentibus coniunge, qui secundam fortunam ducere, aduersam premere solent; nam verum, vt fatear, pudet me, si que sunt meæ notæ alios,*

Innato paupertatis odio dissimulationis crimē diluitur.

Ad Phœbum Apostrophe.

De ditandis ab eo litteratis.

Immo de litteratura non nisi ingenuis decernenda.

cum turba accenturiari, sagaciter nihil præter munera indaganti, quæque ad Lauream *non longa illa, rectaq; via, & aperta, sed transuersis tramitibus, & compendiaria peruenit, quo maturius non suas artes, Pegmate, velut hasta posito, præconis acerbissimæ voci, vendibili loquacitati subijceret. Quod si magna hæc sydera, quæ Solem non horrent, optimè proprijs artibus, ac studijs consultum volunt, si pudore aliquo suffunduntur, quotidie dum cernũt, iam non homines, sed Camelos (apposite dataq; opera dixi Camelos, cohibete risum* P. C. *vt enim illi vim, ita isti ingenium habent in humeris) non nisi turbidam potare suetos, ad pellucidam Pegasidos vndam accedere, sæpiant nobilitate aditus, qui non nisi nobilibus, ingenuisq; pateant, illudq; Romani Fidicinis in fœcundi, perennisq; laticis Cratère inscribi iubeant;*

Odi profanum vulgus, & arceo. Hor. Od. 1. lib. 3.

Sentirent profectò, cum dignitatem, ac gloriam, tum professorum litterarum numerum augeri, maximo Principum *existimationis incremento, qui, & liberalitati habenas laxare possent, nec illud vereri, periturum quic-* Magno tũ litteratorum tum Principũ bono.

quid muneris, laboris, patientiæ, industriæ in doctos collocassent, si inopia vasa colligere cœpisset; nec fictis semper laudibus tenerentur eorum, quibus omnia Principum honesta, atq; inhonesta laudare mos est. *Ex quo illud, vt plurimum consequitur, vt Principes se ipsos noscere, atq; ad veram virtutem informare non possint. Nec verò aut insolens aliquid, & præter rerum ordinem, moremq; sanciretur, si integræ nobiliores, ac politiores artes ab ignobilibus hominibus essent, & Patritij tantum, non sordida plebecula Senatus litterarum magistratus inirent; aut inconstantis animi notam prudentissimus hic ordo subiret, si rata vsuq; recepta abrogarentur. Nam trecenti octuaginta octo anni ab Vrbe cõdita effluxerant, cum nondum è plebe Consulem* Romana *plebs viderat; & tamen res diu, magnisq; altercationibus Patritiorum, Plebeiorumq; agitata conditioni temporum aliquando cessit, &* Lucio Æmilio Mamerco *ex Patribus Consuli, collega* Lucius Sextius Licinius *è plebe primum est datus. Idem de Minoris, Maximiq; Pontificatus, idem de Dictatoris dignitate accidit, hac* Marcio Rutilo *è plebe primum concessa, anno conditæ*

Tacit. 3. ann.

Assentatorib⁹ Principes se ipsos noscere prohibentur

Liu. l. 7.

ditæ Vrbis trecentesimo nonagesimo septi-mo, illarum verò minorem è plebe primis omnium consequutis, sub idem ferè tempus, Pub. Decio Mure P. Sempr. Sopho, Gn. Marcio Rutilo, Mario Liuio Dentero, *maiorem verò* Publio Cornelio Scapula *adepto. Et quidem, si Prisci Romani Senatus speciem quamdam, sed multo augustiorem, hic vester amplissimus refert, quem pœnitere, aut pudere potest, illius vestigia imitari, ac quantumuis inueteratum, receptumq; morem, ad laudis, gloriæq; publicæ augumentum immutare? Præsertim, cum optimi huius,* Numinis, *ac sanctissimi potestas, cuius est totius reipub. studiorum Principatus, nullis legibus, nullo coerceri S. C. possit, neq; vbi ille sanxerit,* Prouocare, *aut* appellare *liceat. Præclara olim, sed fœcunda turbarum nomina; quæq; sensim, dum partibus studet quisq; suis, nouarum rerum cupiditatem, solerti ingenio viris, neq; oscitanter rerum humanaram fortunas, casusq; intuentibus, inuexère, illudq; docuère palàm* vnum esse reipub. corpus, atq; vnius animo regendum, *arcemq; illam munitissimam publicæ liberatis, iisdem artibus expugnari aliquando posse, quibus olim stetisset,*

Liu. l. 10.

Liu. l. 25.

Parnassus Prisci Romani Senatus speciem refert.

Appellandi, ac prouocandi libertas, libertatem Reip. euertit.

Tacitus l. 1. ann.

quæq;

quæq; ad æqualitatem Ciuium, legum obseruantiam, reipub. charitatem, cum æternitate ipsa producenda, inuentæ, atq; excogitatæ fuere. Quapropter, cum omnia Apollo *sapienter constitueris, tum vero illud, plusquam diuinitus, quod magna, & resonantium Magistratum nomina, eademq; illa* Romani Senatus, *sed inualida prorsus, nulliusq; ponderis,* C. *hic* P. *reliqueris, vt ocio litterisq; vacare, liberius possent. haud profectò affirmare audebunt, nesciuisse te litteras, qui aliena dicta, factaq; carpere de industria solent. Sed iam in rectam me uiam, veluti ex diuerticula quadam recipio; vosq; omnes etiam, atq; etiam* P. C. *rogo, obtestorq; sollicita hac mente, prudentiq; consilio pensetis; nihil vmquam salutarius, nihil honestius, nihil ad Rempub. vestrā cum immortalitate conferendam facilius inuenietis. Arcentur ubiq; per Terrarum Orbem à nobilium cōnubijs plebeiæ mulieres, atq; hac vna cautione priscam nobilitatem incorruptam se retinere clarissimæ familiæ arbitrantur, si à cunctis vulgi sordibus, ac coinquinamentis proprium sanguinem abstineant; Musæ verò diuina propago, Summi* Iouis Filiæ, litterarum Auspices, *atq; vt verbo dicā.*

Apollinis laudatissima politica.

re-

— requies hominum diuumque voluptas. Lucr. l. 6.

Passim (proh Pudor) Terræ filios, purgamenta Mundi amplexantur. Et mirari, seu queri potestis esse aliquos, qui professionem litterarum palàm dissimulent, aut subterfugiãt litterati nomen, vt viri retineant, nec fœdo contactu pristinum sanguinem ammittant? Consulite rebus vestris P. C. *atq; aliquando delete illam maculam, quæ penitus iam insèdit, atq; inueterauit in populi* Phœbæi *nomine, quod ij, qui ob turpe sordidumq; ingeniũ, turpiori lucro liberalia studia emanciparunt, regnent in subsellijs, vigeant in foro, in* Aulis, *in domibus, in templis dominentur, omnes illi assurgant, loco cedant, fascesq; submittant. huc si mentem intenderitis, eaq; effecta dederitis, quæ vos monui, cæterarum omniũ, quæ recensui hactenus, maximam reipublicæ vestræ dignitatem afferetis,* Magnorum Principum *ad illam accessu, quos paucis ab hinc diebus cãdidatos in* Aula Medicea *vidistis petere Musarum linguis, sed penè lactentibus, humanorum laborum pulcherrima authoramenta,* Virtutem, *ac* Gloriam. *Quæ Maiestatis indoles, quod Sapientiæ specimen, quæ ibi Ingenij lumina effulsère? Quam*

Nobiles, atq; ingenui, cur litterarũ professionem dissimulent.

MagniCosmi Principes filij.

dant fabulam.

N Gra-

Eorũdem indoles.

Gratijs cuncta, Musisq; ministrantibus excogitata, actaq; sunt? Quam memoriter, quam iocundè Ferdinandus Princeps, quæ Phœbo dictante didicerat, animorum pesti, voluptati reddidit, vt illam ab animo, Regiaq; sua eliminaret? quam襲 ferociter Ioannes Carolus, quam lepidè Matthias, quam festiuè Franciscus? quantis deniq; rebus hisce incrementis se se litterarum gloria attollet? quod si qui sunt, (quod equidem haud reor; noui enim omnium vestrùm non solum acre, ac perspicax iudicium, sed ingenuam fuisse semper liberamq; animi æquitatem) si qui tamen sunt, qui mussitent, nec palàm fateantur, illius notæ studiosorum (in quos hactenus diximus) iacturam, cumulatissimè non solum compensari, sed magno etiam fœnore augeri huiusce maximæ dignitatis animi quadam anticipatione, atq; vno illo præsenti gaudio, quod Lotharingiæ Mineruæ, Austriacæ Iunonis, Christianæ inquam, ac Mariæ Magdalenæ pectora pertentauit, cum pulcherrima Soboles, coniungalis Amoris pignora, sui sinus gemmulæ, aurum virtutis, quo cũ obligarentur, probis artibus internuncijs a Ioue Optimo Maximo expostularent,

hos

hos ego,(audacter dicam,coram Cæli, & Terræ,omniūq; sæculorum illustratore,errorumq; atq; vmbrarum explosore) nec bonum, nec laudabile quidquam cognoscere, & in maxima rerum omnium ignoratione versari oportere. De me autem, haud vehementer laboro, dummodo litteræ ipsæ, quæ mihi sunt me ipso cariores, ad summum Gloriæ apicem, tali, ac tanto adminiculo euehantur; ac proprio capite pœnas libentissime luam,quod,vel angustius, quam earum amplitudo postulet, vel confidentius, quam mea modestia, atq; humilitas patiatur, de illis verba fecerim, si cum hoc sensu emoriar, id dicendo effècisse,vt excitarem te Phœbe, *inflammarem vos.* P.C. *ad propagandas ingenuas artes, ad efferenda vsq; in Cælum præclarissima studia litterarum.*

Sic ego fermè dixi, nactus occasionem, libertatemq; immo audaciam, & confidentiā, extra limites defensionis meæ vagandi, Phœbi *primorumq;* Patrum *attentione, atq; vniuersi* Senatus *silentio penè incredibili; sed verum, vt fatear, causa ipsa magis impellente, à qua aulico ingenio, Nitedulæ more,in dumetas correpsi,vt aures,iudiciumq;* Patrum *fal-*

lerem, ac penè eluderem, fucumq; illis facerē, meæq; damnationi intentos nouarum rerum suggestione distraherem, ac distinerē. At verò, cum quid de me decerneretur opperirer, non sine metu incidisse me in Scyllam, dum Charibdim velis remisq; euitare studerem, Phœbus, vt turbas, inquit, fugiamus, rogādarumq; sententiarum moram, ac difficultatē; Quod bene dij deæq; fortunent, qui hæc censetis, vti reus hic absoluatur, & secundum G. Cęsaris sententiam, S. C. Virgilianum abrogetur, huc transite, qui alia omnia, in hanc partem. Dixerat Phœbus. Sed Patres mirum silentium, immò stupor inuaserat, illud credo verentes, ne Plebeiorum litteratorum, quos multos Parnassus habebat quosq; ego acrius oratione mea perstrinxeram, animos in se concitarent, qui Principes discessionis fierent, in illuc transite; Phœbo, (in cuius vultu mea iam absolutio legebatur) minus gratum facerent, qui in alia omnia pedibus irent. Sed G. Cęsar Pici Mirandulani dextera leniter apprehensa, quando inquit, fortissimi Consules minutam plebem verētur, per nos discessio fieri incipiat, quod ab illis debebat, & cum dicto, in partem, qui

Phœbi rogatio.

Festus sub littera Q.

senatores perturbat

C. Cæsar discessionis Princeps, in partē, qui hoc censetis. Cic. Ep. 2 l. 1. Fam. Quem sequuntur Pichus Mirandulanus.

hoc

hoc censetis cũ Mirandulano Principe *iuit*; *idem mox Consulum alter* Philippus Comminęus, *alijq; multi præstitère, qui cum litterarum cultum nataliũ splendorem, ac gentilitiam nobilitatẽ coniunxerant*. *Sed* Consul *alter* Salustius, *dum collegam sequi cupiens, iam iam assurgit, supercilio, ac fronte seuerissima* Catonis *repræssus est, & cum reliquis, qui aut* Aulas *oderant, aut natalibus non renidebant, obstinatè in* alia omnia *transiuit*. *Tunc* Phębus *dinumeratis partibus, cum æquales reperisset, è suggestu prosiliens,* Hæc pars maior videtur, *inquit, & in illam transijt, in quam pedibus iuerant*, G. Cęsar, *P*ichus Mirandulanus, *P*hilippus Consul, *alijq; in primis nobiles, magniq; viri. Solium deinde repetens* Augustum, *S. C. fieri mandauit, cuius hæc formula erat*.

Ac Cõminæus Cõsul.

Salustius a Catone coactus in alia oĩa.

Cic. ep. famil. lib. 1. ep. 2.

Phœb⁹ de numeratis partib⁹.

Cic. epist. fam. l. 10. ep. 13.

In illã qui hoc censetis transit

S. C. fieri mandat.

Crispo Salustio quartũ, Philippo Comminęo secundo Consulibus, cũ pridie Kal. Nouembris frequentes *P*atres Apollo in *P*arnasi curiã cœgisset, quod *P*hilipus Cõminæus Consul de summa re litteraria verba fecisset, multorumq; sententię rogatę essent, ea de re ita Senatus decreuit; Vti reus hic absoluatur, neq; iniuriã sibi à quoquam

Cuius hęc formula.

factam,

factam in Senatu, ex sui animi sentẽtia queratur, neque, si quid ante hunc diem factũ est, obijciat; non scriptione, nõ lingua, non prorsa, aut vorsa oratione vindicet, aut vllo alio genere persequendum curet. Item, nec illum Senatores verbo contumelioso insequantur, nec vultu, aut naso adunco suspendant; non quęrant quid agat, quid meditetur; si quid prorsa, aut vorsa oratione scribat, in illud non inuehantnr. S.C. Virgiliano, vti pars altera abrogetur difficillimo, ac summo Aulicę rei litterarię tempore Senatus cẽset, neq; in posterum litterati cuiusvis Principis, Regis, Monarchę, Dynastę arbitrio, iudicio, voluntate, odio, amore, detineantur, quin in Senatum recipiãtur; dummodo litteras palàm fateantur, & in quauis lingua, quo vis metro, de quacunque materia scripta illorum publicè cernantur. Qui aliter dixerit, fecerit, pronunciauerit, existimauerit, eum contra Rempub. & salutem omnium fecisse iudicabitur. Affuerunt scribendo. Dantes Aligherius, Franciscus Petrarcha, Franciscus Guicciardinius, Gulielmus Budæus, Barnabas Brixionius, Adrianus Turnebus.

Facto

Facto S C. atq; in tabulis publicis describi iusso, Phœbus *contraxit frontem, ac totum graui supercilio,* Parnassum *tremefecit, & nondum, inquit, mihi suaue erat, quam in vos habeo vniuersos, potestatem, & ius exercere; nã præterita modestia vestra, omnem mihi voluptatem negare ad hanc vsq; diem coegistis; nunc autem à mea facilitate, ac lenitate, vel inuitus, vt cessem, vestra in hunc Aulicum inurbanitas, atq; inclementia facit. Itaq; haud amplius* Prisci Romani Senatus *formulis, aut consuetudini inseruiam, dum huic causæ vniuersæ, extremam manum imponam. Siluit his dictis parumper* Apollo. *Ego autẽ ea calliditate, qua id præstiteram, sensi mirifice illius me aures permulsisse, remque, vt aiunt acu tetigisse, cum sapiens, diuinumq; consilium laudassem, quo* Parnasi *Senatoribus, vmbram Clarissimorum nominum, ac resonantium, magistratus reliquisset; itaq; vel munus liberalissimum, vel priuilegium honorificentissimum decerni mihi augurabar, illud memoria repetens, penitoq; imbibens animo;* Appositè semper, locoq; dici, quę Principũ aures demulceant. *Senatores autem, non sequius, ac si* Sylla *Senatum conuocasset, atq; in*

Phœbus Senatoribus subiratus.

Ob illorũ in Aulicũ inhumanitatem.

Romani Senatus morẽ despicit.

Aulicus Phœbo blanditus

Et qua id arte.

senatores ob phœbi iracundiam męstitia occu pat.

curia illius iussu morientium gemitus exaudirentur, mæror ingens, pallor, silentiumq; occupauerat. Sed Phœbus *cogitabundo, iratoq; similis, his demum verbis silentium rupit. Adeste P. C. atq; hæc mea non leuia dicta mentibus, animisq; mandate, tu* Paule Manuti, *in tabulis describito.*

Phœbus Manutiũ diploma describere iubet.

Quoniam, vt accepimus, Aulicus *hic noster de pudenda litterarum sorte verba palàm in Senatu fecit, illudq; ostendit, posse paruo negocio, maiestatem, splendorẽq; suum reddi bonis artibus, si in posterum exturbentur à* Parnassi *limine sordida, plebeiaq; ingenia, quæ liberalia adhuc studia miris modis coinquinarũt; cumq; illud, & litteris multorum, & sermone omnium pro comperto habeamus,* Cosmum Medicem Magnum Hetriæ Ducem *incredibili quodam studio flagrare, carissimos filios ad virtutis Gloriæq; templum Musarum manibus perduci; nos honestamento litterarum, vt par est, consulentes, ac gentis* Medicea, *quæ & affinitate nobis coniuncta est, cuiq; nos plurimum tum debere, tum velle fatemur, dignitati prospicientes (ob dieculæ potissimum illius recordationem, qua* Daphnide *nostra nusquã in toto Terrarum Orbe inuenta, vbiq; quæsi-*

Cosmus Medices M. Hetr. Dux.

Cupit filios musarum artibus imbui

ta, Florentiæ *tandem in* Laurentij Medicis Cosmi gentilis Aula, *qui eam sibi ex Theßaliæ fuga, inopem exulemq; in Filiam liberalissime adoptauerat, primum potiti sumus, solemnesq; nuptias celebrauimus)* hoc diplomate, *mandamus omnibus qui nobis, iurisq; dictioni nostræ parent*, Poetis, Historicis, Oratoribus, Mathematicis, Philosophis; *nec non* Academiarũ rectoribus, ludorũ, præfectis, priuatarum, publicarumq; Scholarum moderatoribus, ac Magistris, *vt in posterum caueant, dictis factisue ad litteraturæ gloriam pueros erigere, qui non prius iureiurando fuerint adacti, non paßuros se ingenium proprium virilemq; illius ornatum, dotes, ac pulchritudines, mundo muliebri, pignoribus scilicet fortunæ obnoxijs deuinciri; quod si qui fuerint, qui hoc sacramentum detrectauerint, illos ad studiorum amplitudinem non incendant muneribus, non incitent persuasionibus, non minis, nõ verberibus cogant. Sequuis indignationem nostram, &* Laureæ, *si quam in disciplinarum arena adepti sunt, ariditatem promeruisse se sciant.* Cosmum *autem* Medicem Magnũ Hetruriæ Ducem affinem nostrũ, vel Imperatorem, vel Mo-

Daphnis e Theßaliæ fuga in Hetr.

Adoptatur à Laurentio Medici.

Phœbi in Cosmum Medicem munificẽtia.

narcham litteratorum facimus, *illique in toto Orbe vices noſtras in omnes cuiuſcumque litteraturæ ſtudioſos exercendi his noſtris litteris authoritatem, munuſq; iniungimus, ita, vt, & in ſtudioſos homines animaduertere, & illos vti placuerit, vel præmijs, vel pœnis afficere, atq, in ordinem redigere poßit. Datæ in curia Parnaßi ſupremo hoc peregrinationis noſtræ ſæculo pridie Kalendis Nouembris.*

Hæc forma Diplomatis erat; quod antequam obſignaretur, Manutius Phœbo *ſtylū tabulasq; reuerenter porrexit, qui ita raptim ductu Calami ſubſcripſit.* Ego Phœbus. *Ima autem cera* Manutius *cum reſediſſet, hæc notauit.* Paulus Manutius à ſecretis Phębi iuſſu. *His ingenti ſilentio, celeritateq; mirabili peractis*, Iuſto Lypſio *accerſito, qui ab epiſtolis latinis erat, litteras pro me commendatitias ad* Magnum Ducem *mandat, quas ille dum exhararet, propius me* Phœbus *accedere iußit; & quoniam, inquit*, Aulice, *ſermonem non publici ſaporis, nullaq; in re rudem habes, & quod mirum eſt,* amas bonam
Lucr. l. 2. mentem, *ades dum, paucis te volo*; tu te dictis præbere memento.

O *Egre-*

Egregios tuos ad virtutem conatus, non cognoui tantũ, sed promoui, & laude dignos censeo, immo definio. Verum si non aliò tot hominum labores tendunt, qui studijs intabescunt, & magno ætatis, oleiq; dispendio, litteris excoli nituntur, quam, vt animũ ipsum expoliant, illiq; puritatem, atq; agilitatem, liberalium disciplinarũ adminiculo reddant, quam moles ista corporis, membrorumq; compago infregit, ac deturpauit; sique virtus, dexteritasq; animorum præcipua, vel in contemplatione cognoscitur rerum diuinarum, atq; ab omni materia, ac perturbatione separatarum, vel in earum tractatione, quæ inter homines versantur, mentis corporisq; procellis, saloq; subiectos; vide sis; ne cum semel è tyrocinio excesseris, litterisq; excultus iam possis ad ea peragenda adhiberi, quæ magnam gloriam, cũ magna vtilitate coniunctam habent, eò aliquando adducaris, vbi neq; in otio cum dignitate esse possis, neq; in negotio, sine periculo. Quos Eolos habeat Aula tu te scis, quorum Flabris vix vmquam ponderosiora in altum euehuntur. leuia, inania petunt, ac dum ea, aliud etiam agentes, ludunt, attollunt, & beatissima faciunt. Hinc ego

Ap[...]l'inis ad Aulicũ monita.

Studiosorum labores quo tendunt.

Quib⁹ dexteritas animorũ elucescat.

Hoc omnes, sed aulici præcipuè caueant.

Quos Aulæ venti extollant

aulico sed & cordato cuiq; viro.

fere anticipitem video cogitationum tuarum viam, tibiq; magnopere pertimesco; nam cũ illud vix contingere possit, vt ab istis qui tesseras fortunæ diuidunt, tam diuersa vitæ ratio, morumq; probetur, quid nocturna, tu fortè inquies, diurnaq; manu monumenta mortuorũ versare, illisq; tamquam puluino indormine profuerit, vt Sapientiæ, & Doctrinæ præcepta hauriantur, si viui imperant, & & apud Principes *summa gratia, ac potentia pollent, ad quos, nec fama vnquam mortuorum illorum nomen peruasit? An frugi semper, sed absq; fructu, infelix hæc litteratura erit, atq; excellens, erectumq; ingenium non nisi depreßa, iacentiq; fortuna existimabitur? Seu potius magis profuerit, vel non profutura studia penitus deserere, illisq; nũcium remittere, vel ingenij acumen, & litterarum arma, & linguæ, facundiæq; stylum exerere, atq; in id vnum imcumberere, vt* cum virtutes ijsdem temporibus optimè ęstimentur, quibus facillime gignuntur, *culta quadam ignorantia, & sapienti ostendatur, ad benè, beateq; hac tempestate viuendum, vel trium verborum scientiam sufficere,* Do, Dico, Addico, *vel nihil ignoratione rerum*

Ab his periculum.

Tacit. in vita Agricolæ.

omnium melius, vtilius, honestius, tutius inueniri; sicq; ingrata, surdaq; sapientia, aut decoxisse se sentiat, aut contenta fumo imaginibusq; suis, cum bellissimus sibi ipsi lepus esse videatur, pulpamentum quærere desinat, & ex hac amœniori, atq; humaniori hominũ secta, qui Patriæ, *qui* Principibus, *qui amicis non minus quam sibi ipsis viunt, in illam transeat spinosiorem, ac reconditiorem arcanæ Philosophiæ, quæ proprij capitis olla ætatem degit, & ignauiæ, quam comtemplationem appellant, addicta, vt meus quidam cecinit.*

Et vigilans stertit, nec somnia cernere cessat. Lucr. l. 3.

Hæc sunt, quæ aliquando vrgere te video, rerum Aulicarum *statu, motuq; commotum; quibus omnibus ingenij tui lumen, roburq; mentis ostendas oportet, & litterarum studiorumq; fructum, fortem compositumq; animum, quæ non sequus, ac lux exoriente Sole, tenebras illas horroresq; fugabunt. Nam si Prudentia, quæ litterarum tractatione perficitur, tecum diligenter reputabis rerum humanarũ, ac præsertim* Aulicarum *ingenium, perbeatum te, non miserum, abiectumq; censebis.*

quib⁹ pro uidẽdum.

animi fortitudine.

Ac prudentia.

Quæ litterarum est fructus

sebis. Quotus.n. quisq; est, qui fidei, diligẽtiæ, assiduitatis, industriæ, virtutis deniq; fructũ sub ijsdem Prĩcipibus metat, sub quibus quædam quasi semina rerũ illarũ spargere, illi cõtigerit? exige mente præterita: oculis præsentia lustra, vix duo paria tam fortunata inuenies. ij, qui hodie, in quauis Aula vigẽt, frondescunt, florescunt, fruticescunt, altius radices multis iam annis sub terram egère, & veluti coemento, lutoq; cõtecta olera, candorem temporis beneficio receperunt; & si ab illis petas, canescẽtibus animis ne dum membris, ver primum honorum, atq; vtilitatũ eis affulsit. tu nihil, si mortem excipias, culpare habes, quæ spes tuas amplissimas, ad quas viridissima ætate, in auspicijs tui famulatus euaseras, cum flore illo Principum immaturè nimis, atq; intempestiuè succidit. Quapropter, aduersarum, secundarumq; rerum condimento, si quid asperum offenderis, vt deuores non solum, sed concoquas aportet; hoc enim demum est illud non succumbere fortunæ, proprios nimis sensus, ac cupiditates non indulgère. Sub ijsdem igitur signis standum tibi censeo, Principibusq; magis tuis, quam tibi ipsi, serendum in animo tuo, noua quoti-

Quæ in aula spargũtur seminum seri fructus.

Qui tamẽ aulicopręcoces obuenerant.

Francisci Principis interitus aulicispes amplissimas succidit.

Quid propriè sit fortunæ non succũbere

die virtutum semina, mentemq; ab opinionibus vanis ambiguisq; purgandam, quæ crescentis fortunæ, immò adultæ vim roburq; depascunt, nec tempori homines, scenæq; inseruire sinunt, quod vnum est in rebus aulicis apprime necessarium. Quamobrem, quæ affecta, atq; informata in officina tua habes, vt quamprimum perficias, ac pumice, vt dicitur expolias, te hortor; hac enim, vel vna opera poteris (cæteris omnibus occupatis) acceptis adhuc beneficijs satisfacere, ac quādā gratiā repèndere; etenim ingrati animi est solertissimis digitis rationem subducere, si quid deest, ad ea quæ suppetunt conniuere. tuq; officiosus habeberis, & ingenuus, dignusq; qui cætera consequaris, si præsentibus, præteritisq; contentus, futura liberalitati Principum, iudicio, humanitati committes; maximum enim omnino donarium est, illud aperta fronte in quauis fortuna posse effari. Cæsaris sum; *ac perbelle meus olim Vates coram Rege suo tacentes, quam poscentes magis proficere cecinit.*

Palàm igitur, & sermone, & vultu nihil, præter illorum in te merita, beneficiaq; loquaris, ac præteferas; hoc pedibus conclusa verba, hoc soluta ac forensis oratio, & vtriusq; linguæ

Scenæ inseruire.

In rebus aulicis neces.

Hor. lib. 1 Ep.

monu-

monumenta, lucubrationesq; tuæ laborent; huiusmodi enim stomaco eos esse oportet, qui non quæstus, aut lucri causa, sed sapientiæ amore litterarumq; pulchritudine, ad studia incumbunt, quiq; illud reipsa comprobant, rectè factorum conscientia nihil esse iocundius.

Quod si mercedem aliquam ab infœcundis virginibus præter laudem gloriamue quæras, ac robustius illis gaudium extorquere cupias, quo animus in earum operoso cultu, atque amore, quotidiano veluti pabulo duretur, ac reficiatur, aspice ex editissimis templis (quibus Doctrinæ excubijs Sapientia munitur) in consultam Aulicorum *vitæ, morumque rationem, qui nihil aliud nobilitate certant, ingenio contendunt, nihil dies, noctesq; animi corporisq; assiduo labore nitũtur aliud, quam ad alienas opes emergere, vel propriarum dispendio, hirudinum libidinẽ imitati, quæ quidem cum in aquis degant, sitiunt sanguinem; quinimo ipso Tãtalo infeliciores; fugientes enim latices dum impensè sectantur, non sitim ex-explent sed augent, ita vt, si lymphæ ipsæ volucrem cursum aliquando sistant, ac sui copiam faciant, vel ex longa cursura anhelitus trahentibus vix spiritus ad haustũ sufficiant,*

vel

vel deficiant auide nimis se se ingurgitantibus. Quapropter illud fateantur necessum est, latranti, nedum admonenti naturæ satius fuisse adhibere fidem, atq; in bonis, virtutisq; munus reputare amplissimum. Viuere Paruo. *Nam, & si tam firmis aliquis lateribus reperiatur, qui post maximas fortunæ* Aulicæ *iactationes, ac tempestates, votum in portu soluat, & pellucidos eiusdem latices accedat, atq; haud sudore madidus, vel ægros anhelitu artus quatiente pleno se fonte proluat; an metus ille curasq; magnæ semper fortunæ sequaces, an inuidiæ tela, an superbiæ ictus quæquæ cætera fulgorem non reuerentur ab auro sibi ipsi euasisse persuaserit? aut potius his omnibus eo magis patère inuitus etiam fatebitur, quo magis in altum euectus fuerit? Aduersus hæc igitur ex litterarum studijs hunc tu fructum, si libuerit, capies, vt cum cæteros* Aulę *fluctibus agitatos, vel paupertatis, vel infamiæ scopulis allidi cernas, si altum exhorreant; vel si* Æoli *Flabris, immo fortunæ se se committant, in superbiam atq; ambitionem impingere, secundisq; nimium vẽtis velum implentibus splendidius naufragium facere; illud sapientia plenum Cytharæ*

P modis,

modis, assiduè vt recolas aptes, quo ex altissima mentis specula sæuientis æquoris prospectans iniurias, Aryone *ipso felicius pertentatum mulcebis æthera.*

Lucr. l.2. Suaue est mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.

Ceterum cōmodius iam tecū, hoc est humanius agam, eaq; suggerā, quæ vsus ipse rudes etiam homines, nedum litteris excultos docere solet. Si virtus aliquando, inter lubricas Aulę *fortunas labatur, hoc illā præcipuè fulciat, sistat, erigat. ita natura cōparatū esse, vt quos liberalitate aliquando cōplexi sumus, eo etiam nomine collati in illos beneficij, magis diligamus; itaq; qui semel magnificam de te opinionem, atq; honorificentissimam à tuis* Principibus, *argumētaq; beneuolētiæ, ac charitatis nō vulgaria expresseris, illorum in te, immo in res suas, quæ tibi ornamento, atq; vtilitati fuere, beneuolentiam, atq; Amorem defutura, ne suspiceris, nisi tu id committas, vt accidat. Nosti enim Montes quosdam existere, qui cum matutinum Iubar summo vertice excipiant, rigent humeris, neque umquam gremio*

adul-

adultos radios admittunt, non mea quidem illiberalitate, qui cuncta collustrans, id magnificum duco, si omnia penetrem atq; illustrem, sed cliuorum, ac rupium siluarumq; interpositu atq; interiectu, quæ illis vim meam vitalem, benignitatemq; defendunt. Idem prorsus Aulicis *vsu aliquando venisse comperij, quos* Principum *gratia, ac fauor, quæ in famulatus exordio mirificè illos fouebant, in medio cursu destituere, vitiorum quorumdã occursu, quibus* Principum *charitas ad illos penetrare prohibebatur. quæ, vt caueas, in ista præcipue ætate vel nihil est, quod præstare valeat, vel solæ sunt litteræ; quæ quidem, & despici aliquando, & contemni, at non perpetuò possunt impium enim putare esset, tantum siue fortunæ siue hominum ignorantiæ, atq; audaciæ, de rebus longè præclarissimis, prouidentiam permisisse; nisi, si forte futurum sæculum perosa, contraria huic, quod nunc agitur, atq; in extremis laborat, fundamenta iaciendo, oculatis, cordatisq; hominibus id ostendat. Nã perquam vbicumq; gentium est, fidem, cum peragente Morte mãdata fatorum, e vestro quotidie numero prudentissimi efferantur, quorum sapientia, ac*

doctrina res Principum maxime floruere, ad quam optimi, pacatiq; status spem, animos in futurum erigitis, si in demortuorum loco, rudes, ignariq; sufficiuntur, quorum id primum opus, maximumq; sit, litteras lautiores, earũq; professores odisse, vt propriæ ignorantiæ culpam immaniori crimine expurgant? O terque, quaterq; beatos Principes, si huc intenderent animum, & veluti bellatorum equorum, venaticorumq; canum, ita doctorum hominum gregi prospicerẽt, vt semper paratã in Aula propria & ad manus haberent earum rerum copiam, sine qua opes inopes, inualida potentia, fluxaq; est. Nunc verò quid stultius inueniri potest? dum exoticam aduenticiamq; litteraturam, vel coacti solertißime quærunt, qua iura legesq; vigeant, & illorum Imperium, atq; authoritas florescant, hac vel vna inquisitione penuriã virtutis, atq; eruditionis domesticæ, immo incuriæ, ac negligentiæ propriæ confitentur; minori profecto rerum humanarum incommodo, si telum hoc in neruum tendentis caput erumperet. Sed tu illud Satyrici lepidißimum nosti.

vt equos bellatores canesq: venaticos ita doctos alere deberẽt Principes.

Hor. ep. 2 l. 2.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Ete-

Etenim profectò hinc fit, ut iura legesq; venales proscribantur, ac nummulis licitatoribus, auaritia præcone, vnicuiq; quod suum est, tribuatur, an auferatur? *Sed nos ex* Aula *in forum perreximus. at* Principes *non ommisimus, qui vbiq; in suo Regno, ne dum in* Aula *sunt; attamen* Aulas *immo* Principes *ipsos repetamus, quibus illud contendo, quicquid litterarum sugillatores effutiant, eorum documento, ac bono, meos olim alumnos cecinisse, Vrbium arces* Palladi *sacratas fuisse, ut luce clarius patèret,* Principes *viros, non solum robore, & fortitudine, & militum manu, & armis munitos, atq; instructos esse oportère, sed sapientia, sed doctrina, sed litteris, hominibusq; expolitis nitidioribus disciplinis. Nam quemadmodũ (ut græcis in prouerbio fuit) Heroum magna facinora, non absq; Thæseo accidit, ut fierẽt; ita absq; adiumento, & adminiculo litterarum, nulli vnquam populi, aut Reges, rerum potiti sunt; antiquissima enim, ut memorẽ,* Assirijs Caldæi *præsto fuère,* Persas Magi *manuduxerunt,* Macedones *litteræ græcæ fulciuerunt,* Alexander *ex* Aristoteleo *fonte hausit,* Numam *autem* Pompiliũ, *qui legibus, ac religione,*

Catullus de nup. & The.

ne,

ne Romanorum animos primus impleuit, omnes scientiæ, artesq; ingenij, ac rudimenta ditarunt, quæ à Pythagora *in illam Italiæ partem, quæ magna olim Græcia dicebatur, comportata fuère. Sed plura, ne hac de re dicã* Mensa tua Aulica *præstat, cuius ego gustum quemdam mirificũ hausi, quo audacter spondere possim, magnum te illa adiumentum rebus* Aulicis, Magnumq; Principum Aulicorumq; *splendori allaturum augumentum.*

Quid semper Aulicum sollicitum habuerit.

At verò, cum illud te valde semper sollicitauerit, viam reperire, qua tuto cum istis non solum, quibus fortuna nupsit, quique eodem modio nummos gratiasq Principum *metiuntur, sed cum cæteris etiam* Aulicis *tui ordinis, & notæ degere posses, ac* pergere iter periculis vacuum, extra abruptam contumaciam, & deforme obsequium; *non fraudabo te arte secreta; tu cum opus fuerit (erit autẽ si cum illis vixeris in horas monumentaq; singula) vtere fidenter, & quicquid auspicatus fueris,* Dij Deæq; *omnes fortunabũt. Candidissimam deinde membranam mihi dedit, in cuius calce hoc tantum legebatur (& mea omnino manu litteræ ipsæ ductæ videbantur)* Ita Est. *Hanc ego dum religiose susceptam,*

Tacit. lib. 4. ann.

Remediũ ad illud.

ptam,

ptam, verecunde complicarem, nec satis diuinare possem, quod celaret arcanũ; Lypsius *litteras commendatitias perfecerat, quas non prius obsignauit, quam* Apollini *legerit. illarum autem hoc erat exemplum.*

Phœbus Cosmo Medici, Magno
Hetruriȩ Duci.

Paucis, vt hunc tibi Aulicum *commendem, illud facit, quod* Aulicus, *quod tuus est. pluribus autem, vt tibi commendatum velim, illius aduersus* Rempub. *nostrã egregia merita, cultus in te propè singularis.* Daphnidem *mihi meam iterum fugacem, semper iratam habeam, si multa passim ingenia offendi, æque nata ad* Principum *negocia, ad Musarum ocia. Tu* Princeps *ne desuetudine situq; in altero torpescat, vtere, experire; Faxo; fidum, strenuum, vigilantem, te dignum inuenies. Musæ illi, quod earum est, non deerunt, immo, vt vidimus, tu propediem videbis, non defuère. Soboli tuæ felicia, fausta omnia non auguramur solum, sed acclamamus; tibi autem firmam valetudinem (si ab* Æsculapio *caueas) ad seram vsq; senectutem promittimus. Ex* Parnasso *pridie Kal. Nouembris Curru nostro* Sagittarium *occupante.*

Lecta

Lecta epistola, arridere sibi summopere ait, argutulam breuitatem, qua non solum Principes, *sed ociosi etiam homines hodie capiuntur. Solito igitur chirographo.* Ego Phœbus. Apollo *subscripsit, atq; obsignatam in Fasciculum* Diplomatis Lipsius *addidit, mihiq; diligentissime gestandam commendauit. Sed ego cum* Lipsij *in amplexus ruerem, vt diuturnam aliquãdo sitim viri mihi prorsus ocultissimi, veneratione aliqua explèrem;* Phœbus, nemo vos tenet, *inquit*, P. C. *Somnus verò, qui arctissimis me ligaminibus deuinxerat, veluti ipse quoq; è Senatorum numero esset, illumq; ea vox excitaßet, cum Senatoribus cæteris surrexit, ac dum meos ille oculos, ego somnium reliqui.*

satis dormitti

LAVS DEO.

LECTORI MEO
BENEVOLO AC
CANDIDO. F. P.


AVD temere fit, mi *Lector*, vt in fine huius *Satyræ*, te alloquar, non enim excusationem adpingere, sed rationem consilij mei reddere volui, quam nisi perlecto opusculo vix percipere poteras. Quę igitur ad hęc me scribenda impulerint attende, & proba, si proba; sin aliter, illa non me despice. Cum multis iam mensibus atq; (vt veram temporis rationem supputem) ex quo *Franciscus Medices Magni Cosmi Frater* (ehu tristem acerbissimi fati memoriam) decessit, diuinassem ab ocio mihi bellum impendere, qui ad magna me composuissem, cum *Principis mei fortuna, ac Genio*; ne occasionē debiti cultus in *Magnum Ducem* ostendendi, expectarem potius, quam quęrerem; dum tantisper aulica, referuescerent, in ludum me contuli, vt ingrato ocio exacto, non inexercitatus in arena viderer, si *Iuppiter* aliquando, ut grecis

Q est

est in prouerbio, in membranas suas respexisset. Neq; verò *Lanistæ*, aut *Atletæ*, me commisi, vt *gymnastice* valerem, sed consularibus viris, atq; illustribus, a quibus præcepta in vtramq; aleam perciperem, alijs fortè nonnunquam, mihi certè semper profutura; qui quidem in Somnio hoc relati, meę cum illis consuetudinis, ac vigiliæ, possunt tibi esse argumentum; leue illud per se quidē; sed nos *Aula* leuiori absoluit aut damnat. Quid, quod curiosis quibusdam, & garrulis, immo importunis approbare me volui, à quibus parcus *Aulæ* cultor, & infrequens audio. Prorsus illis ignaris *Principibus* meis operam me nauare solitum, etiam cum domi me contineo, cum *Musæum* celebro, cum *Aulam*, illamq; non *Aristoteleam*, sed *Zenonicam* potius deambulationem desero? Adderem, quæ (sapientia immortali fauente) & vernula *Italorum*, & Domina *Romanorum* lingua vulgare cogitem, in *Principum* laudem, in *Aulicorum* vtilitatem, ni vererer, his muneribus ostēsis, concitare populum ad flagitandum, & tarditatem meam (quam tu bonus, ac Doctus diligentiam licet interpretere) cogi anteuertere.

terẽ. Quaprõpter, ex lucubrationibus illis, quę dormitant adhuc, hoc ſomnium excitaui atq; ad eos miſi, veluti proluſionem maiorum vigiliarum, & veluti lineam, ex qua, auguror, cultiores recognoſcent artificis manum nõ omnino rudem, reliqui non ſemper ocioſam. *Vnum addam, & ſtatim lector, te valere iubebo*. Si aliqua hic non examuſsim ad priſcum *Romani Senatus* morem, ac ritum offenderis, ne te, aut iudicium de me illa tuum offendant. conſultus erraui (quod in artibus capitale eſſe non ſolet) vel vt *Phœbo Senatus Principi* blandirer, vel vt tempori me accomodarem, vel demum vt *ſomnio* inſeruirem huiſce fabellæ actori; quod ſi ſeuerius, gaſtigatius, & limatius opus, & maioris diligentiæ, ac ponderis exhibuiſſet, quid vigilijs meis relinquebatur? Styli autem, quo ſcriptio hæc conſtat, varietas, ad guſtum pertinet, quem tibi ingenioli mei præbere volui; Sed caue ſis electionem ex illa conijcias, quam huius, aut illius ipſe fecerim; nam id (ſerio, & fidenter arculam noſtram cõtemplati loquimur) proximo qui imminet luſtro pręſtabimus, cum iuſtum, atq; vt dicunt ad aſſem, ex lit-

tera-

terario fundo censum pendemus. Vnum addam (& statim te lector valere iubebo) de salibus, iocisq; quibus hanc fabulam condiui; qui quidem, non vereor, si forte aliquibus nimij, quin candidi saltem, ac puri omnibus videantur. Quinimo illud scio; hæsisse eos in cutè, nec intus penetrasse, & nedum calida si aspergantur dilui facillime posse, verùm vdo non duraturos, vt edulium, vel omnino non sapiat, vel citò putiscat; quod profectò magis voluerim, quam sitim doctis hominibus fecisse. En lector alloquutionem tecum ipse peregi. tù quæ velim, Deus quæ volo, perficiat; me scilicet vt diligas tu (sic enim omne punctum in litterario certamine me laturum confido) ab illo vt diligamur ambo; & erit rebus nostris in omnem ęternitatem pręclarissime consultum. Vale.